

Ull, 78 ^{3/4}

1113.



Vll, 78. ~~12~~ / 2.

2. 199.

193.

HISTORIE
DES
ROYAUME DE
FRANCE

PAR
M. DE
L'ARRETOUR

DE
L'ARRETOUR

DE
L'ARRETOUR

DE
L'ARRETOUR





PARALIPOMENA
HISTORIÆ
RERUM LIPSICARUM
METRICÆ,

SEU
EX CARMINIBUS
PER TEMPORA ET QUÆ PAULO
EA ANTECESSERUNT,

QUIBUS
POETAS PUBLICO STIPENDIO
IN

ACADEMIA LIPSIENSI

INTERPRETATUS EST,

SIMULQUE SCHOLÆ OPPIDANÆ THOMANÆ
UT RECTOR, PRÆFUIT, VARIIS RERUM EVE-
NIENTIUM OCCASIONIBUS COMPOSITIS,
NONDUM PECULIARITER IM-

PRESSA,

SECUNDUM SERIEM TEMPORIS,
QUO CONFECTA FUERUNT,

IN USUM

INSTITUENDARUM PER ANNUM
M DCC XXII.

LECTIONUM POETICARUM

SIMUL EXHIBET

JOH. HENRICUS ERNESTI.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANUELIS TITII.





I.
AD EXCELLENTISSIMÆ ET STIRPIS
ET SPEI ADOLESCENTES
JOH. FRANCISCUM BORNIIUM,
ET
FRANC. THEODORUM SCHEDIUM,
AVIAM
ELISABETHAM BEXIAM,
LUGENTES MENSE NOVEMBRI
M DC XXCIII.

Divinis, juvenes, charissima pector.
Musis,
Fortuna illustris digna propago dor
mus.

Accipite a manibus quæ primum litera nostris
Advenit, atque animis tradite lecta piis.
Quæ poteram attentis coram omnia dicere vobis,
Consultisque ipsis constabile libris,
In primo si quæ placuit fecisse Novembri,
Ista etiam extremo tempore facta forent,
Limina si cupidæ mentes mea visere vellent,
Venissentque graves Palladis arte domum.
Ædibus at dirus prohibet discedere luctus,
Qui vexans misere tristia corda quatit,
Qui curis animum cruciat mordacibus omnem,
Ultra nec patitur limen abire pedes.

A 2

Nec

Nec,quam non tolerem,causa est. Ploratis ademtam
 Vos progignentum quæ pia mater erat;
 Ipsa sui visa est quæ felicissima sexus,
 Sensisse & fortis prosperioris opes;
 Conjugii spectem seu fœdera clara verendi,
 Adspiciam prolis nobile sive decus;
 Palladis illustres Generos & Martis alumnos,
 Astrea & Themidi qui sacra grata ferunt;
 Sive, valetudo quem dat propensa, favorem
 Integra post multos quodque senecta dies,
 Seu studium recti & calidos virtutis amores,
 Et quis præterea splenduit ipsa bonis.
 Intemerata aderat pietas, prudentia, candor,
 Pronus & in miseros auxiliansque favor,
 Vel multum faciat quorum jactura beatos
 Tristes, in luctum conjiciatque gravem,
 Vos certe, hæc, queis, dum spectatis funera mœsti,
 Pars bona de prisca prosperitate perit.
 Sanguinis ipsi etenim clara estis portio magni,
 Acceptæque novus nobilitatis honos.
 Quæ tantas igitur dat spectatissima dotes,
 Immensum, fatis occubuisse, dolet.
 Additis exhibitos, quos accepistis, amores.
 Quæque tulit fervens vix numeranda favor;
 Hortatus varios sæpe exauditaque vota,
 Quæque suis matres distribuisse juvat.
 Leniter utque aliis ea fas feralia ferre,
 Nil tamen his vobis durius esse potest.
 Matribus excedunt Avia viventibus istis,
 Tristia post matrum funera vestra cadit.

Non

Non ergo justum, quem funditis, improbo luctum.
 Parcius ast optem fletus ut ille meet.
 Obsequium hoc dabit, sive istis ut omnia, nobis.
 Utrum aliam mentem, quam fuit ante, putem?
 De morte egregie nostis quod sineque vitæ
 Visum Arpinati, quod Tibi, Flacce, placet,
 Quæque Nepos scribit sensisse extrema potentes,
 Et quod de fati pagina sacra docet.
 Vulgi æque ac Regum mors sedes pallida pulsat,
 Nil ergo fletis quam mihi passa novi est.
 Pectora qui torquent finit mortalia casus.
 Felix dicenda est, quæ mala multa fugit.
 Læto magni obitu raro sua lumina claudunt,
 Non vi, sed vult ut, vestra, senecta, cadit.
 Gaudia defunctos quondam cœlestia reddent;
 Quod non amissum est, plangere nemo solet.
 Plura, animis tenus hac quæ suggessere Camœnæ
 Discendi cupidis, si repetatis, erunt.
 Ad Musas igitur promti properate colendas,
 Aspera Terpsichore, dura Thalia levat.
 Primum sanctorum quin sumite scripta librorum.
 In mala nil usquam fortius esse potest.
 Denique si tristes nolitis ponere sensus,
 Ni sit, qui sanctæ possit obire vices;
 Nec deerunt rebus certe hæc solatia vestris.
 Est, qui vos primum suscipit, ipse Deus.
 Est, quem summa alter vestrum pietate Parentem
 Jam colit, ipso alter scit patris esse loco.
 Perpetuo hic vestris, mihi credite, consulat ausis.
 Rebus is afflictis afferet unus opem;

Promovet ut meritis patriæ jam commoda magnis,
 Consiliis arcet mœstaque cuncta suis.
 Vos modo supremum precibus placate Deorum,
 Ipse ille ut faveat, vita fit aucta patri.
 Tecta favens vobis servant si cœlica Numen,
 In terris magno si licet esse viro,
 Lumina disjiciunt tenebras pulcherrima mœstas,
 Vel fonsque extingvet flammam Arethusa mali.

II.

INVITATIO DE CANALIS
 BACCALAUREORUM PHILO-
 SOPHIÆ

AD LECTIONES IN FERIIS MESSIS
 INSTITUENDAS.

*P. P. Dominica ante Festum Margarethæ
 M DC XCII.*

INter Romanos secessus mentio multa est,
 Gesta ejus gentis si memorata legas.
 Sed si, quid dicto signetur nomine, quæras,
 Accipito, brevibus quod scio, trado tibi.
 Urbe, est, egressi multi, qua rura petebant,
 Actio, quo caperent otia grata sibi.
 Nec secedebant abjectæ nomina plebis,
 Roma exit junctus claro equiti ipse Pater.
 Sed quæ visuntur loca? sic sua prædia quæruni,
 Donaque jactantes fertilitatis agros.
 Urbe excedebant ob multa negotia Roma,
 Quodque omni fierent corpora lassâ die.
 Delectamento nec ducunt tempus in uno,
 Postquam abitu accedunt otia dicta suo.

Pars

Pars avidos spectant messorum farra legentes,
 Complexos capit hic dulcia mella favos.
 Sunt, quos delectant doctorum inventa Sophorum,
 Conscriptisse libros res Ciceronis erat.
 Est, jucunda juvant mollis quem balnea sensus,
 Est, posita pisces qui dape captat aquæ.
 Neve viros credas sectari hæc otia lassos,
 Sæpius ante oculos res simul urbis erant.
 Quos cauta versant inter convivia lingua,
 Urbem transmissum consiliumque juvat.
 Sicque locos vivunt sectantes sæpe remotos,
 Ut novus acciperet membra resecta labor.
 Secessus memini, quando scribo ista, Quiritum,
 Festi instar nobis quod Cerealis erit.
 In quo cessamus, Phæbo queis thura cremantur,
 Exortus canos dum canis urit agros.
 Et possim similem longo ordine sistere causam.
 Consilium haud fert sed scribere multa datum.
 Et tamen ex cunctis unum adduxisse placebit.
 Nostrique id fiet commoditate loci.
 Scilicet in placidis quando secessibus hærent,
 Romanos alios substituisse viros,
 Qui sua tractarent commissa negotia Romæ,
 Absentumque darent cuncta peracta loco.
 In nostro hoc facient pariter, quicumque, Lyceo
 Artes humanas Panlophienque docent.
 Otia sectamur concessa a Principe nobis.
 Partes sed nostras interea alter obit.
 Nam vice Doctorum docuisse in messe notantur
 Panlophies primum qui nituere gradu.

Vos ergo hoc scripto, Juvenes, compello, colendi,
 Queis dicto ornavit Phœbus honore caput,
 Hos operis præsto vestris ut sitis in anno,
 Quodque aliis factum est, nunc quoque fiat opus.
 Dicta a Mercurio quando hora secunda sonabit,
 Promti in Museum, luce, venite meum.
 Quando accessistis, tribuentur tempora cunctis,
 Queis, quæcunque placet, tradere cuncta licet.
 Non dubito vestrum multos accurrere velle.
 Arte esse instructos sufficiente, patet.
 Hactenus applausum fertis certamine docto,
 Dum vester fructu disputat ordo bono.
 Quod Musæ capiant de vobis gaudia plena,
 Nunc facite, ut faciat lectio docta palam.

III.

IN NUPTIIS EXPERIENTISSIMI

VIRI

DN. CHRISTIANI LUDOVICI
WELSCHII,

MEDIC. DOCT. ET PRACT.

ET

CHRISTIANÆ REGINÆ
CONRADIÆ.*Lipsiæ d. 7. Iduum Augusti 1693.*

COENA MEDICA.

WELSCHI, pars melior mei laboris,
 Urbis lucidius decus virorum,
 Phœbeo fate semine Æsculapi.

Cœnæ

Cœnæ lautitiis satur jugalis
 Paucis en comitatus a Phaleucis
 Adsum, quò bona gratiis repensem,
 Successusque toro rogem fecundos.
 Hanc cœnam medicam, feres, putari.
 Structis egregie cibis patebat
 Conclavi posita in nitente mensa.
 Ornat tecta loci arte picta imago.
 Splendorem similem latus ferebat.
 Stratum marmore purius notabam.
 Quem non magnificæ dapes juvabant?
 Mensæ gloria prima, aves, ferinæ,
 Truttæ atque ostrea dona grata ponti?
 Addunt saccara se modis parata
 Non unis, oculi & gulæ voluptas.
 Nectarque exsuperat vetus Falernum
 CrySTALLI nitido datum lepore,
 Factoque artificis manu usum in istum,
 Vina ut dulcia, cantharo, exhiberet,
 Arte & materia sua æstimando.
 Mox & Threicii sequaciores
 Potus in patriæ patris salutem
 Fecerunt fidibus viri canoris.
 Cœnæ isti Medici, roges, quid inquit?
 Est, vel quod struis hanc recens Machaon,
 Vel nobis stomachos levat quod ipsa
 Lassos duritie famis rigentis,
 Sed sic visa mihi, quod est molesta
 Sponso, ægris Medici in novum vigorem
 Ut nunquam placuere potiones.

Corpus discruciat ægritudo,
 Non quæ per proprios nocebat artus,
 Et jam desierat valere pulsa,
 Verum quæ misero laceffit ictu
 Nuptæ membra novæ, modisque duris.
 Heu, febris, removes quid oris usum,
 Facundi, madidi liquore mellis?
 Quid pulchram faciem immodesta fœdas?
 Cur non Palladias manus ad artes
 Sveto more finis labore ferri,
 Promptas ad studium, paresque penso?
 Quid tardare pedes juvat choreis?
 Quid non alloquio excipi benigno
 Præsentis numero hospites placentes?
 Quin vires animi pii fatigans
 Ut virtutis opus, nocens, remitti
 Et lassum fieri, facis, putetur.
 Pressum a miseris malis levamus
 Herbis sponsæ caput bonis juvantes.
 Non, quas ipse decus dares medentur,
 Sed quales cupidi ferunt amici
 Tædis prospera languidis rogantes.
 Multis nos epulis, amice, pascis.
 Multos exhibuitque Bacchus haustus.
 Inter vota pii sed omnia oris
 Sumuntur, fugiat feros ad Indos
 Ad noxam haud reditura febris unquam.
 Atque hæc consilio bono petuntur.
 Cœnam at sic medicam tibi paramus.
 Testaris mediolorum acerbitem

Cum

Cum multis lachrymis preces coortis
 Vultu sæpe capis datas madente.
 Sed certæ indicium puta salutis
 Quæ pressere, abigetque desinente
 Mox CONRADIA sana facta morbo.
 Salvo jam video ore ut osculetur
 Ut forma recreet virum resecta,
 Occurrat placida ut domum reverso,
 Et vultum foveat manu valente
 Obtestata, labore quo quiescat
 Finito bene corculum expetitur.
 WELSCHI, ne dubites. Loquor probanda.
 Firmat splendidius rogata cœlum,
 Nec tot pollicitum secunda Numen
 Fidas destituet preces voventum.
 Quia cor visceribus mihi volutis
 Commotum intimius futura spondet.
 Prædicunt varia ex Deo Poëtæ.
 De cœna Medica quid ergo fallar?

IV.

TESTIMONIA

DISCEDENTIBUS EX SCHOLA THOMANA
 ALUMNIS NONNULLIS

d. 26. Aprilis M DC XCV.

SCRIPTA.

I.

JOH. FRID. ACKERMANNO,

Reichenbachio-Varisco.

Fanus has Tibi *Fridricus* lector ecce literas
 Candida *Ackermannus* offert natus ex Variscia,
 Quo

Quo loco rivo superbit dite Reichenbachium,
Optimæ expectationis mentis integræque homo.
Tradimusque, dum relinquit nostra nunc com-
mercia

More sveto laude digno temporis præconium,
Ipse per nostras Camœnas quod peregit optimus,
Mente rectus, arte totus splendidusque plurima.
Diligens, pius, modestus, temperans & obsequens,
Roma dat linguæ decorem quem, sciens, & Græcia;
Syllogismorum peritus; dogmatumque Rhetoris,
Versuum non negligendus, teste Phæbo, conditor,
MUSICÆ inprimisque diæ prædicandus artifex.
Ergo commendatus ut sit maxime, Lector, peto.
Ut vides, laudanda rebus obvenit Tibi seges.
Prima sed tantum notabis germinare gramina,
Messis ut sit hincque larga, provideto sedulus.
Sic erit cultoris instar præstitus promte favor.
Sic seges, quam dico, crescet publicas in copias.
Mente delectationi sic erit grata Tibi,
Quem manus colet benigna. Sic ego fructus
feram

Læto ager commissa reddit ut colono fertilis.

2.

JOH. CHRISTIANO GIESMANNO

Grosbarda-Misnico.

FUsores facinus semper imagines,
Pubi commoda quot dogmata tradimus.
Mens est, Mercurios unde parabimus,
n re forma sita est & species data,

Men-

Mentem dumque doces, fuderis omnia.
 Nobis nunc simulacrum esse potest novum
 Præstanti juvenis spe memorabilis
 Fusorem generis nomine præferens,
Janus flumine dum tangitur entheo,
Christianusque poli coetibus additus
Giesmannus, patrius Barda locus cui
 Est major, cui nunc istaque scribimus.
 In ludo recipit traditæ imaginis
 Thomano faciem signaque Lipfico.
 Pulchræ res habitus imbibitæ notant.
 Romana en species, Græcaque cernitur.
 Sedes mens Logicas Rhetoricas habet,
 Verbis libera erunt nexaque commodis
 Promendas quoties ora ferent opes.
 Virtus egregiam fert Tibi gratiam,
 Insignis pietas, blanda modestia,
 Et pectus licitis jussibus obsequens.
 Tu, quod proferimus, suscipito favens
 Artes quisquis amas, & celebras bonas.
 Quem non effigies non statutz juvent?
 Quin & perficito, quas schola lineas
 Primas nostra habet, & cultior expoli
 Phœbus Dædaleis inclytus ausibus,
 Lyssippi superans nomina nobilis.
 Sic pones species, signaque, quæ domus
 Ornabunt Domini templaque cœlici.
 Sic forma artificis facta vocabitur
 Fama, & quod manibus ducta fidelibus
 Cessit, ceu voluit mens valida artibus,

Et

Et grata bona quod mente data efferet.
 Imo ipsi colimus, qui juvenes fovent,
 Magnos quos studiis mittimus in locos.
 Hinc & quæ referet debita gratiis,
 Fundemus, fieri quam poterit, Deam.

3.

IOH. CHRISTIANO HERTELN;

Rochlit. Misn.

PRono in nos animo, colende Lector,
 Quos scribo, veniunt tibi Phaleuci,
 Ut *Jani* manifesta *Christiani*
 Fiant Rochlitii fati Parente
 Laudanda *Hertelii* notæ probandæ
 Et mentis Juvenis peracta rectæ,
 Donec Lipsiaco latens Lycæo
 Thomano Aonidum imbibit liquores.
 Ejus non equidem queant videri
 Rebus congruere improbi Phaleuci.
 Durum nomine namque cernis esse.
 Res gestatque animos feros in omnes
 Virtuti & studiis bonis nocentes.
 Quærit mollia sed genus Phaleucum.
 Sed recte est. Cupit esse quippe durus,
 Ut post aspera mollior feratur.
 Nam duros didicisse lenit artes
 Mores, nec fierit virum ferum esse.
 Romano loquitur scienter ore,
 Lingua Cecropias feret loquelas,

Dul-

Dulcis carminibus, placensque profa,
 Nunc tardus Logicos petens recessus,
 Nunc ad Rhetoricos volans lepores,
 Non artis penitus rudis canendi.
 Virtutis variæ nitente luce
 Fulget præterea pius, modestus,
 Præstans obsequio, laboriosus.
 Quæ non mitia, ferto, sic videbis?
 Ergo quod proprium est, dato, Phaleucis
 Præsta tamque bonis amans amores
 Rebus, proficiantque provideto
 Posthæc innumeros favens in auctus.
 Numen sic eris indigentiori,
 Sic nomen Domini aptus ampliabit,
 Quæ promet meritis suis futuris
 Insigni juvenis favore fatus.
 Præstantis quoque more quin Phaleuci
 Grata præbita mente dum tenebit,
 Effundet Veneres tibi placentes.
 Ipse autem obsequium meum paratum,
 Laudatum juvenem mihi quod ornas,
 Promitto pariter meis Phaleucis.
 Ut par, res venietque post: valetō.

4.

JOH. ANDREÆ Hempelni,
 Osterhusâ Thuringo.

EBrietas quid non designas? Ore *Johannes*
Andreas docuit verbisque *Hempelius* aptis,
 No-

Nostrium, Osterhufa Thuringus quando Lyceum
 Extremo gratus sermone valere jubebat
 Rectorum juvenis morum fortisque probandæ.
 Et merito! Fœdant vitii nam pectora multis
 Quot nimio assidue submergunt corpora Baccho.
 Sed dixi: Baccho. Nam quos Musæ haustibus udos
 Pegaseis faciunt crescunt virtutis amore,
 Ad recta & justæ præconia splendida laudis.
 Exemplumque ipse est *Hempelius*, ebria rebus
 Qui laudabilibus saturatus pectora gestat.
 Cecropiis studuit fervore tumescere succis
 Laudando, & doctis, Latium quas præbuit, undis,
 Simplicibus sive has urnis, sive arte ligatis
 Acciperet. Logicos potat nunc impiger haustus
 Ad verba effusis plenis nunc fertur habenis
 Fundenda, ut nunquam cursus non incitat, in quo
 Dirigit imbibitus large facienda Lyæus.
 Quin mentem multo studio perfudit honesti,
 Obsequio insignis, clarus pietate, modestus
 Moribus, & placidis virtutem gestibus ornans.
 Quantum igitur fas est, hominem commendo favori,
 Utque ita completo Musis Phæboque Patrono
 Aonio madidum laudamus fonte clientem,
 Sic tu non dispar similem tractato benignus,
 Quæ porroque animo desunt, infundito promptus.
 Exoneret gratæ sic in Te pocula mentis,
 Quem bonus excipies. Precibus sic commoda nostris
 Quæ das commisso, faciam sint signa, vicissum
 Obsequiis studiisque datis, non sobria de me
 Qui bene fecisti, verum ebria cuncta referre.

s. Gott

5.
GOTTFRED GENSEN,
Lipſienſi.

Scriptum hoc *Gottfredus*, Lector, *Genselius* offert
 Lipſiacus, noſtri leſtator parsque Lycei,
 Haſtenus a cultis dum vult diſcedere Muſis,
 Tradendum, leſtorum oraturumque favorem.
 In cunctis ludi doctrinam claſſibus hauſit,
 Quam dare Muſa ſolet, nunc prima elementa latinæ
 Cecropiæque bibens linguæ, nunc pectore ſorbens
 Robulto, quas res ſibi ſumit adultior ætas.
 Quin imo Logicos cepit creſcentibus annis
 Rhetoricosque modos, & quas Academica vita
 In ludis reliquas præmitti poſtulat artes.
 Ingenii captum facti æquavere proſectus;
 Tantumque explorans vires didiciſſe videbis,
 Quanti conata eſt natura parare capacem.
 Quod placuiſſe parum dicam, nil moribus hæſit.
 Obſequio, pietate placet, factisque modeſtis,
 Quave alia juvenes ſeſe virtute probabunt.
 A noſtris igitur noſtro comitatus amore
 Diſcedit Muſis, ut par eſt, teque rogamus,
 Auxilio facili rebus venientis ut adſis,
 Quod ferre ipſe queas, juveniſque admittere poſſit.
 Tentabit gratus ſemper pro viribus eſſe,
 Quem bene tractabis. Noſque impendemus & ipſi
 Sæpe operam, ut precibus penſemus tradita noſtris,
 Obſequiſque iterum de te mereamur honeſtis.

B

6. CHRI-

6.

CHRISTIANO Umblausſten,

Biſchoffswerd. Miſn.

TRanquillum nunquam quem currere cernis
ubique,

Ardelio Muſis commodus eſſe nequit.

Quippe ut non creſcit, ſemper quæ planta movetur,

Ædes non firmat mobilis utque lapis;

Aſſidue ſic qui per vicos ambulat urbis,

Nunquam inter doctos ſe videt eſſe viros.

Laudem *Chriſtjanus* non magnam *Umblauſſius*
ergo

Biſchoffswerdenſis, quem tibi trado, trahat?

Viſus enim tibi nil fiſſet vel nomine, quam qui

Perpetuo viſit compita trita fori.

Sed non vult homines cenſeri nomine Phœbus.

Pondere, qui ſimus, res graviore docent.

Indeque nec dicto juveni præconia deſunt,

Hæcque bona, Lector, nunc tibi ſigno fide.

Doctrinam lapſos noſtram bibit octo per annos,

Seu dedimus Grajum, ſeu Latiale decus,

Sive ardens Logicos cura eſt oſtendere nexus,

Fors quæve orator fundere verba queat.

Tradita ſed ſemper placida capit aure modeſtus,

(Cum Muſis teſtor Numen, Apollo, tuum.)

Tempore tradendis quo debet deditus eſſe,

Nunquam aliis preſenſus turpiter ire locis.

Quin & perceptæ virtutes addidit arti,

Obſequio præſtans, & pietate bonus.

Ver-

Verbis nunquam asper monstranti recta Magistro,
 Quæ gessit, fidus muneribusque suis.
 Verbo, quò positus monstrat res ordinis omnes,
 Quo steterit mundus cultu animoque loco.
 Egregie ergo tuo, Lector, commendo favori,
 Qua possum ut foveas promoveasque petens.
 Sedatos laudo mores. Qui fortius orem?
 Compositum cœlum terraque pectus amat.
 Causa tamen placeat tibi si contraria fors et,
 Qui se circumfert per loca plura dabit.
 Musicus imprimis multis præponitur apta
 Eximios faciens arte canensque modos.
 Sicque locos mutat varie, mox voce sonora
 Summum, mox inum, mox mediumque tenens.
 Quin ut compenset sibi præbita munera gratus,
 Passim perpetuo conspiciendus erit.
 De nostro obsequio promissa adjungere nolo.
 Quam sint exiles, nam mihi constat, opes.
 Si tamen in nostris credas quid viribus esse,
 Qui magis haud tibi me cuncta pererret erit.

7.
JOH. GEORGIO LEERIO,
 Rochlitz. Misn.

Verbi recorder eloquentis Tullii
 Nato exarati mœnia ad Pandionis:
 Venisti Athenas literarum ad nundinas,
 Inanis inde ne revertaris, cave,
 Loco hoc, *Johanni* scribo dum *Georgio*,
 Nostrum Lyceum qui reliquit, *Leerio*,

B 2

Pro-

Profeminato stirpe Rochlitii ex bona,
 Non negligendæ vel Deo juveni notæ
 Censore Phæbo prorfus. Affert nomine
 Inane signum. Tradiditque se scholæ
 Hoc sine nostræ, quas Apollo venderet,
 Merces sibi quo compararet Musicas.
 Nec defuerunt, efferebant quas, opes,
 Deæ. Latinum Roma pandebat forum,
 Diversa Græcas cella divitias habet.
 Fert Syllogifinos, quem Stagira protulit.
 Artem loquendi scita præbent Rhetorum,
 Orator esse seu solutis quæritur
 Verbis, ligatis sive vates versibus.
 Sed qua refertus ille mentem copia
 Hinc jam recedat, ipse Lector judica,
 Te quando adibit, pectus excutiens parum.
 Cessasse nunquam cognitum ardorem est mihi.
 Accepit & quod tenia suffecit manus.
 Testorque morbos impedisse plurimos
 Non pauca. Præstat eruditus dulcibus
 Modis canendi. Moribus non displicet,
 Mihique semper debitum obsequium tulit,
 Nunquam juventæ cæteris in partibus
 Lascivientis moribus protervior.
 Tu Lector ad te nunc benigno suscipe
 Favore euntem, dona de mercatibus
 Tanquam ferentem pauca nostris candidus,
 Nondumque quæ sunt, præparatis adjice.
 Exilis Hæmus noster emporium plagæ.
 Ad Te sed orbis universus confluit.

Non

Non mente grata prædicare desinet,
 Quæ sumet. Ipse sed meo ut pensam data,
 Parvi ecce mores æmulabor oppidi,
 Et quando voti compos, ex commerciis,
 Tantis revertar, proferantur omnia,
 Quæcunque habebō, quo decori inserviant
 Præstabo matris tam benignæ, & sic tuam
 Jactabo passim gratus excellentiam.

8.

GEORGIO MUNCKROTHIO,

Zvenckavia Misn.

HÆc qui tibi fert scripta *Georgius*
 Spe prædicandus *Munckrothius* bona,
 Zvenckaviensis gente Mylus
 Carmina digna facit Camœnis.
 Dum nos relinquit, versu igitur meo,
 Vitæ peractæ promeritam dabo
 Laudem, Artium scribens amorem
 Perpetuum studiumque recti.
 Septem per annos vixit Apollinis
 Nostri sub umbris, impiger imbibens,
 Quas res docebamus juventam
 Aonidum cupidam catervæ.
 Lingux Latinæ si veneres petas
 Græcæve, quædam nosse videbitur,
 Artem loquendi comprehendens
 Per Logicos rudis haud recessus.

B 3

Secla-

Sectatus, osor, quæ bona, criminum,
 Promptus Magistris, integer in Deum,
 Baccho acer hostis, nec manu unquam
 Defugiens vacua labores.

Laudatus ergo se precibus meis,
 Lector, tibi offert. Tu bona plurima,
 Præsta benignus profuturus,
 Obveniet quoties potestas.

Ore ipse gratus, menteque vixerit.
 Non sunt Camænæ sique molestiæ,
 Musis Patroni laudem honori,
 Quam valet, assidue ordietur.

Quin & paramus præstita munere
 Pensare nostro carmine laudibus
 Multum tuis semper daturi
 Obsequiis aliisque promptis.

9.

JOH. GEORGIO GLIER,
 Neukircha Varisc.

QUod vides scriptum manibus benignis
 Mentis erectæ Juvenis *Johannes*
 Expetens pronam faciem *Georgus*
 Glierius offert.

Natus est inter vegetos Varifcos,
 Qui locus fislit patriam, recenti
 Splendet a templo, data si vetustis
 Nomina spectes.

Octo

Octo per soles viguit Lyceo
 Rectus in nostro, bona, quæ docemus
 Indole assumens docilis capace,
 Aureque prompta.

Ducitur primum Latii ad loquelam,
 Mox ferunt Græcas boni opes Magistri,
 Voce seu fas fit dare res soluta,
 Sive ligata.

Rhetoris partes varias periti,
 Nunc scit & versus nitidos lepores,
 Nuncque percepit Logicos recepto
 More recessus.

Non malam vitam vitia inquinarunt,
 Numini fidus, placidus Magistris,
 Debita in cunctos studio modestus
 Munera fecit.

Ægrius visum est tamen esse corpus,
 Causaque infirmos animus futuri
 Sæpius morbi vitiat timore
 Mollior artus.

Nos relinquentem meritis Camœnas
 Tradimus nostras variis Patroni,
 Ut iuvandi si veniat facultas,
 Commoda præset.

Gratus existet, bona cui ferentur,
 Et meis nostros precibus foventi
 Ipse, qua possum ratione rursus
 Servio promptus.

V.
 IN NUPTIAS
 V I R I
 CONSULTISSIMI
 DN. D. JOH. FRANCISCI BORNII, ICTI,
 ET
 JOH. ELISABETHÆ SCHWENDEN-
 DORFERIÆ,
 Anno M DC XCV.

MOs equidem, Cytherea, tuus perumpere
 leges,
 Et sanctum flammis jus temerare tuis,
 Namque facis læsa multos pietate maritos,
 Illiciti vinclis conjugūque ligas.
 Tempore sed sistis prisco hæc incommoda mundo,
 Nunc alios mores addidicisse reor.
 En, quas accendi tædas spectamus in urbe,
 Omnia quam Themidi convenienter eunt!
 Antiquo legum Mystarum sanguine rectus
 Justo contrahitur more juvante torus.
 Semper inexhaustos offert gens *Bornia* fontes,
 Ex quæis justitiæ flumina larga meant.
 Jusque ipsum credas civi jus dicere, quando
Schwendendorferos dicere jura vides,
 Non licet ad veteres proavos excurrere versu.
 Quippe omnes calamus vix numerare queat.
 Quæis non sponforum viguerunt laudibus olim,
 Legum quos orbis non tumulabit, Avi?
 Eternum vivet *Schwendendorferus* in orbe,
 Juridici excellens Ordinis ante caput,

Astræz

Afrææ, quoties opus est, arcana revelans,
 Et multos Baldos mente valente tenens.
Borniades fensis pariter sublimibus ingens,
 Os pulchrum juris præsidiumque fuit.
 Tuta bonis turris, pollensque potentia causis,
 Immerito & pressis ancora firma reis.
 Quis fatis extollet divinum, *Sponse, Parentem,*
 Illustri ante alios maximum in Orbe loco,
 Præsidium Patriæ, Patriam dextramque regentis,
 Consilii imo ipsum prosperitate Deum?
 Nunquam lassatum sanctis pro Principe curis
 Vi, qua charo opus est civi, animique parem?
Sponsa, nec inferior summo *Genitore* coruscat,
 Inclyta quam natam dixerit inde Themis.
 Namque Deam ipse *Pater* venerandus præstitit
 istam

Rerum notitia, consiliique fide,
 Divinis varia jungendus mentibus arte,
 Cœlestique æqui dignus amore choro.
 Sed quid de propriis Tibi, *Sponse*, ornatibus addam,
 Ad jus compositus qui mihi totus eris?
 Seu primam spectem tendentem ad clara Juven-
 tam,

Ad res seu plures plenior annus agat?
 Sive datos meritis claris videamus honores,
 Publica quod cupiant munera Teque sibi.
 Testis ego pubis cui contigit esse Magistro,
 Serta Ordo testis Juridicusque ferens.
 Testis erit sanctus, cui pars es clara, Senatus,
 Dici quæ voluit Curia Teque suum.

Testabuntur idem posthæc Collegia plura,
 Quippe Tibi ulterius munera plura dabunt.
 Jamque mihi exoptem vires in verba Maronis,
 Sponsæ justitiam queis nitido ore canam.
 Qua vultus equidem Paphia magis ipsa venusta,
 Scribi jam justæ possit imago Deæ.
 Sed vita est norma spectanti exactior omni,
 Facta urbi ostendens qualia jura volunt.
 Alloquio s'avis, verbis facunda modestis,
 Artibus excellens virgineisque decus,
 Nil faciens rerum, quodcumque Astræa vetabit,
 Quas Themis omnia habens poscit habere suos.
 Hæc spectans igitur quæ Diva gubernat amores,
 Tota pia Astræam dum reveretur, ait:
 Pulla equidem dudum cum fraudibus exulo nostris,
 Conjugio quoties pectora jungit amor.
 Sed perisæverunt tot nunc documenta Themistos,
 Debuerim ut solitis sanctior esse modis.
 Veraque protulerat. Propius namque omnia lustrans
 Haud noto quod rectis displicuisse queat.
 Fœdera consilio primum coiere Parentum,
 Hebraico ut conjux facta Sipora duci est.
 Colloquio mollit tali nova nupta maritum,
 Quali Tarquinio læsa puella virum.
 Oscula dant etiam sibi, sed dant oscula, primo
 Qualia casta viro sœmina prima dedit.
 Ludentem Abramidem vidit sic rexque Geraris
 Cum focia, ut plenos dant sibi amore jocos.
 Pergito complexus Par exercere venustos
 Diviaum & Charites multiplicare tuas.

Sic

Sic vestro venient thalamo, quæ comoda poscunt,
 Pro vestra quotquot thura salute cremant,
 Corporis integritas, lux exoptata dierum
 Semper per sortem ductaque vita bonam,
 Prosperitas sobolis, spes fortunata nepotum,
 Et larga ex fera posteritate salus.
 Justa etiam justum est nam ferri munera justis,
 Jure suo pensat Jus Venerisque Themis.

VI.

AD

LUDOLPHUM PHILIP. HORN, Halberst.
 SEBALDUM PEZOLDUM, Kirchbergens.
 BENEDICTUM KORNMANNUM, Lips.
 JOH. SAMUELEM Tännichen, Dahlenf. &
 CHRISTIANUM Hegeln, Heburgens.

EX SCHOLA THOMANA HABITIS SOLEN-
 NITER DE POTU, UT INTER PRANDIA COENAS-
 QUE, HACTENUS SINE LIQUORIBUS AB ALUMNIS
 SUMTIS CIBIS IN POSTERUM ADJUNGATUR,
 NON ITA PRIDEM COMPARATO, ORATIO-
 NIBUS VALEDICTORIIS, DIE XX. APR.
 M DCCIV. DISCEDENTES

PROPEMPTICUM.

Officii memores grates vos promere multas,
 Et nostris Musis dicere ipecto Vale,
 Hactenus ingenio charissima pectora nostro,
 Aonidum culti parsque colenda chori.
 Officii ipse memor pariter prosperrima fata,
 Dum vacua efficitis pulpita culta, precor.

Pul-

Pulchrarum vadat tecum, *Horni*, copia rerum,
 Nec te destituat semper habenda salus.
 Rerum ingens priscis vis creditur esse Poëtis,
 Cum Cornu pleno Copia facta comes.
 Cornua per frontem cornuta animalia jactant,
 Ut se defendant anteeantque greges,
 Esurie ut lassos produci ad pascua spectas,
 Post seque ad stabulum corpora plena trahunt.
 O nunquam adspicias, careas queis, tempora, rebus,
 O utinam semper quod petis, esse putes!
 O si te semper sint qui defendere possint,
 Sit dux, qui monstret pabula certa tibi.
 Hospitium oblatum Cytharœdum spernere narrat
 Pausanias, Græci Musa verenda jugi,
 Conspecta est quod in hoc promiscua turba morari,
 Resque ibi non posset solus habere suas.
 Non digna abjecti ratus est commercia vulgi
 Arte hac, quæ peteret sidera celsa poli.
Pezolde, insignis tua Musica puncta voluptas.
 Hinc tibi per factum hoc prospera multa precor.
 Ut puram hanc artem jungas rebus honestis,
 Ut vani fugias fœdæque facta gregis;
 Munditiæ alliciat mentem seu finia luxus,
 Svadeat insidians turpia sive Venus.
 Frumentatorem, *Korrumanne*, in nomine profers,
 Qui paci & tristi bello alimenta vehit.
 Nunquam deficiat Tibi, qui sua pabula præstet,
 Qui prompto pellat paneque damna famis.
 Per teque orbi olim fas frumentatio fiat,
 Exlatiat populum qua Deus ipse suum,
Dum

Dum per templa sacri spargit præconia Verbi,
 Et dio vacuas gramine pascit oves.
 Iucurrunt oculos abiegni munera fructus,
Tamichi quoties lumina visa noto.
 Aptior at non est per totam hac arbore sylvam
 Qua liceat tutas ædificare domos.
 Ædes ergo Tibi assidue precor esse paratas,
 Per quas in tuta te statione loces.
 Quin ipse ædifica factis te nobile tectum,
 Per quod divinus promoveatur honor.
 Sive tuos cupiat Deus ipse intrare recessus,
 Sive alii per Te vadere ad Astra velint.
Regeli, exemplum per Te referatur in orbe,
 Ad res quo pulchras vadere possit homo,
 Ad res tendenti via seu monstretur honestas,
 Quærat fortis prosperitasve bonæ.
 Nempe ita complebis mensuram nominis omnem,
 Sicque simul quicquid diceris, esse potes.
 Sed quæ causa novis nunc fingere carmina formis,
 Nostris egressis dum cano vota scholis.
 Quem commendastis, recitabo carmine potum,
 Is voti existat summa petita mei.
 Nempe opto instar aquæ recreet benedictio cœli
 Recti, qua fervent pectora vestra, sitim.
 Tempore non ullo hæc bibituris pocula desint,
 Plena sit assidue his cellaque vestra cadis.
 Flumina sic mellis, sic flumina nectaris ibunt,
 Sæpe ita lautitias lactea vasa ferent.
 Magnorum oceanum sic det Deus ipse bonorum,
 Et non prendendi multa profunda maris.

Sic

Sic calido exhilarent arentes imbre Patroni,
 In vos divitias exonerentque suas.
 Et si parva usus forsan solatia poscit,
 Sic riget ex puteis integra gutta meis.

VII.
 ACTUS SCHOLASTICUS,
 QUO MENSE MAJO MDCCVIII. DE SEPTEM
 ARTIBUS TOTIDEM ORATIONIBUS METRICIS
 VERBA FECERUNT ABEUNTES A MUSIS THO-
 MANIS SEPTEM ALUMNI.

I.

DE GRAMMATICÆ NECESSITATE
 RECITATA

A

CHRISTIANO THEILIO,

Mülbergens. Mifn.

METRO HEROICO.

HOc anno septem his Musarum excedimus
 antris.

Septem artes igitur verbis lustrare juvabit.
 Nec visum est equidem fari ut natura patefcatur.
 Exponendarum cunctas affectio sistet,
 Artes una magis reliquas qua vicerit omnes.
 Ambigua ante omnes sed quam sum dicere iuffus
 Mens dubitat, nec fcit, quam primum exponere fas
 fit.

Quæ legiffe docet, sed adest & scribere monstrat.
 Atque hæc Grammatica est, de qua nunc verba pa-
 ramus.

Nil opus & quod fit magis ista, mentio fiet.

Vos

Vos precor, ut promte quæ sunt recitanda, bibatis.
 Grammatica efformat rationem rite loquendi.
 Hinc facile apparet, quantum poscatur in orbe.
 Nam primum voluit Numen cœleste loquamur.
 Sancti equidemque viri mandant compescere lin-
 guam.

In primisque fatis poterat vix ferre Jacobus,
 Quæ mala proveniant ex lingua atque ore loquaci.
 Verba sed hic prohibet, quæ fiunt tempore iniquo,
 Mandaturque iterum, taciti ne verba moremur,
 Tempore sed iusto poscunt ut verba ferantur.
 Instar nonne tubæ vox est tollenda canoræ,
 Si populo Domini sit demonstranda voluntas.
 Convenit haud Regi ut taceat, sententia quando
 Pro populo contra dicenda est iusta prementes.
 Et quando cautis Dominis formare placebat,
 Qua vita in domibus privis ratione gerenda,
 Verbis, quæ servis puerisque tenenda, feruntur.
 Sed tamen in primis nostris ut commoda rebus
 Acquiramus, opus sermone est, utque loquamur.
 Ut fas, non homines prodire hoc tempore possent,
 Ni verbis placeat sponfas adjungere sponfis,
 Conjugio ut soboles nascatur plurima casto.
 Non homo servaret vitæ modo munera natus,
 Ni per vagitum, quæ sint præstanda, requirat.
 Non compellatus pistor non porrigit escam.
 Non veste involvit velanda hæc corpora mutus.
 Nec faber absque sono formato construit ædes.
 Confusa arx lingua manet imperfecta Babelis.
 Messores condunt messem inter júbila claustris,

Distri-

Distribuuntque hosti vocalia gaudia prædam
 Victori ereptam. Fuerit taciturnus ineptus
 Civis. Quam clamat miles, dum vadit in hostem!
 Quot monitis pigros tauros impellit arator!
 Non portat medicus sine verbis pharmaca morbo.
 Non scita exponit sine dictis jure peritus.
 Non Domini rectum est accedere templa tacentes.
 Cæditur haud tacito cultori victima laudis.
 Spirant cum precibus fumos altaria multis.
 Nonne opifex cantu fallit molitque labores?
 Gramine nonque silens viduabit rustica campos.
 Quam loquitur sapiens dum dogmata visa docebat,
 Seu nubes tradat seu monstret fulmina cæli,
 In partes jubeat seu scindere corpora plures,
 Se sive insinuet varia ratione Mathesis.
 Dic mihi quis fuerit lingua haud operante disertus?
 Quando confudit Logicus muto ore Sophistas?
 Quam verbis opus est, ut civis munera fiant?
 Sed nec vir bonus esse potes, si dicere nolis.
 Ipse sed officium possis tibi ferre videri,
 Quamvis non mittas per linguam verba locutus.
 In tua cur non sis non dicens corpora justus?
 Maxima quot mutis sapientia cognita facta est?
 Qui tacet, evitat quando non crimina? Rursus
 Sed tamen & casus dantur, qui verba requirunt.
 Non omnes fiunt recte sine voce labores.
 Quis sciat an præstes aliquid, nisi verba revelent?
 Teque potes semper non in virtute tenere,
 Si non increpites verbis turbare volentes.
 Quoque modo possis, quæ, tradere, postulat alter
Jure

Jure suo? Blandus præstas benefacta petenti,
 Consilio proſis ſeu multa ad commoda dando,
 Seu re ſuppreſſis ſuccurras utilis oris.
 Qui vendit merces, quanti ſint, indicat ore,
 Non intelligitur ſine verbis litera factis,
 Tum dices, quando judex jurare jubebit,
 Non ſumes tacitus, moriens quæ liquerat hæres,
 Atque opus eſt ſummi venerari Numinis ore
 Res excellentes. Equidem ſine pectore cultum
 Non laudem Domino factum ſine voceque mentis.
 Colloquia aſt pariter Domino ſunt grata colentis,
 Seu ſiſtant clauſum cælo conclavia ſolum,
 Sive inter ſpiſſos cœtus celebratio fiat;
 Seu verbis recites, quæ ſunt credenda, ſolutis;
 Sive in divinas laudes per cantica ſurgas.
 Nil magis ergo opus eſt verbis certa arte ferendis.
 Nec ſatis eſt, ut mos, vulgato dicere ritu;
 Sed regat, exigitur, quod dicas, regula verbum.
 Ipſe etiamque artem ſcribendi hoc hoſpes in Hæmo
 Haſtenus edidici, ex quo nunc diſcedere mens eſt.
 Sed juvat ex dictis unum vertatur ad uſum,
 Quod ſic præceptum eſt. Faciam præconia ſummi
 Nam ſic magna Dei, bona quod quam plurima
 præſtat
 Is mihi, Muſarum ſcænna hæc dum parva frequento.
 Nec modo magna fecit, dedit omnibus una,
 Mecum ad majores queis nunc fedet ire Cæmœnas.
 Comuni grates, Deus optime, nomine ſumas
 Ergo Tibi. Cunctum Te collaudamus in ævum.
 Curaque poſt hoc & ſimas tibi provida tempus,
 C

2. DE

2.

DE LOGICA,
 QVOD SIT OMNIUM FORTISSIMA,
 RECITATA

A

GODOFREDO Krüger,

Herzberga-Saxone,

METRO ADONICO.

F ortiter hostes,	Et videatur.
Quæ petis omnes	Nil erit in me
Fausta que vincis,	Menteque nostra.
Ergo venito,	Ergo benigna
Ars veneranda.	Quotquot adestis
Sic voco, nostræ	Aure favete
Quæ rationis	Menteque pronâ.
Dirigit usum.	Robora vestro
Hancque, domat quæ	Magna favore
Viribus omnes	Nam Logica offert,
Fortibus artes	Prælia per quam
Arbitror esse.	Prospera fiunt.
Verfibus idque	Ars Logica esse
Hicce docebo,	Dicitur. Illam
Quos Cypriæ ardor	Viribus artes
Nomine dulci	Vincere cunctas,
Dicit Adonis.	Fiet apertum.
O utinam nunc	Ast opus hostis
Viribus ipse	Constet ut, in quem
Tantus adestem,	Robora spargat
Vincere queis ars	Vimque valentem
Ut Logica omnes,	Clarus in illa
Sistere possim	Qui



Qui viget arte.	Multiplicata
Sicque vocandus	Vult ratione
Improbis error	Iste nocere,
Creditur esse.	Durus in oras
Quanta videtur	Quisquis & asper
Copia rerum	Venerit hostis.
Visque malarum!	Expedi arma
Surgit in oras	Nunc, movet astus
Mente petendas	Nunc quoque multos,
Rebus iniqua	Nunc nocet ensis
Hostis in orbe.	Sive sarissa
Error ab Orci.	Sive sagitta,
Dæmone prodit.	Machina nunc est
Nemo magis sed	Noxia nobis
Dæmone veri	Igne parato
Odit amorem.	Mittere sœveta
Impetit hostis	Plumba globosa
Clinata terræ	In feriendos.
Frangere qui vult	Prendis arenam
Crimine nunquam	Mente marinam
Digna fugari,	Promptius omnem,
Nulla adeo res	Summaque fient
Labe nocentes.	Sidera cœli
Vera creavit	Promptius una,
Libera noxa	Quam rationes
Absque creator	Dixeris istas,
Omnipotens, cum	Quis petit error
Conderet orbem.	Tristis honestas
Læserat hæc sed	Resque tuendas,
Error iniquus.	Seu jacit arma

C 2

Ho-

Hostis apertus,	Qui sapienti
Sive mala instat	Disputat ore,
Fraude Sophista,	Prælia recta ut
Firma Cohortes	Notitia intrent,
Robore præstas	Cum placita armis
O Logica omni	Vera tegenda.
Semper in acres	Nam patet, orbis
Inque timendas.	Prælia qui dant,
Pereutis omnes	Quod faciant sic.
Sed quoque victrix	Duxerit ad res
Fortibus ausis	Strenue agendas,
Cladeque sæva.	Qui logica arte
Qua ratione	Pollet, in hostis
Fiat at ista	Agmina sumti.
Pugna modoque	Ordo videtur
Dilcite paucis.	Commodus inter
Principio alta	Bella volentes
Commoda cura	Iusta movere
Cuncta requirit,	Rectaque turmas.
Apta fugando	Sede locatur
Quæ videt hosti.	Terminus unus
Congregat ad se	Et modo prima
Ut metuendos	Nuncque secunda.
Hectoras, acres	Rursus & inis
Atque ut Achilles,	Miles in oris
Prælia quisquis	Stabit uterque.
Apparat in se	Est quoque, quando
Militi eunti.	Maxima virtus
Agmina format	Prima tenebit
Lecta perite,	Bis loca præfens.

Con-

Conferit istis	Commoda turmas!
Prælia factis	Vultis ut addam
Mente potenti,	Quæ documenta
Voceque firma,	Rem stabilire
Cui gravis error	Optima possint.
Dejiciendus	Ipsè triumphans
Est penitus, sic	Christe fereris
Dum ratione	Maxime, victor
Disputat usus	Hac ratione.
Vera secuta.	Fœda negabat,
Ingerit ictus,	Turba futurum
Excipit ictus	Mortua quondam ut
Fracta recedunt	Corpora vitam
Nulla timore	Rursum haberent
Pectora pravo.	Tempore, quo tu
Ipsa timore	Missus in orbem
Sternere visa	Dia docebas
Agmina pergunt	Corpore vivo,
Flectere gressus,	Dogmata in orbe.
Jamque tueri,	Sed Logica usus
Versa volentes	Tu, Domine, arte
Corpora cædunt,	Cuncta movebas,
Tuta fugati	Tela parata in
Cum loca quærunt.	Dogmata vera.
O tibi victrix	Nulla ferebas
Quanta trophæa	Dogmata scire hos
Palma parabit!	Quæ perhiberet
Causa relicta est	Litera sancta.
Turpis & ipse	Numen Abrami hanc
Dissipat error	Namque docere
In sua lectas	

Esse Jehovah,	Lux rationis
Numen Ifaci	Par tibi non ars
Esse Deum ingens.	Ulla vigore
In tumulis, sed	Esse valebit!
Esse jacentum	Gratiæ agendæ
Non Deum, eorum	Sed mihi, nobis
Sed sua vita,	Munera multa
Quos recrearet	Donaque qui dat
Certa salusque.	Dote Senatus
Nonque alius mos	Lipficus ingens,
Esse videtur,	Pulpita Thomæ
Dogmata Romæ	Pectora formant
Quo jaceant, quo	Dum varia arte.
Tergaque vertant,	Rebus in archis
Dogmata falsa	Tempora tantis
Qui tueantur	Nulla fatigant
Nomine calvo.	Robora tanti
Atque equidem istos	Tanta Patroni.
Litera sancta	Suppetat o si
Diaque sternit.	Robur & ingens,
Sed Logica obstat	Gratia quo par
Ars simul istis,	Possit haberi.
Præbita tela	Debilis at mens
Ordine promit	Debilis at vis,
Dum bona justo	Numina, nobis.
More ministræ	Ergo rependat
Tela juvantis,	Quæ data vobis
Ipse benignus	Numen ab alto.
Quæ dedit æther.	Fortius hoc est
Egregia o vis!	Nam nihil, atque hoc
Robora summa!	Firmius est nil.

3.

DE ORATORIÆ UTILITATE
RECITATA

AB

ERNESTO CHRISTIANO PEZOLDO,

Redera-Misnico,

METRO JAMBICO.

DOcebo laudes vos ego Oratoriæ.
Sic ordo poscit. Namque primus optimo
Artem loquendi nobilem modo dedit.
Doctrina moxque disputandi subdita est.
Ego disertam nunc feram peritiam.
Sed, quod, docebo, maxime sit utilis,
Non parva quodque portet orbi commoda,
Virtute si quis verba multa fuderit.
Vestro favore sed feretis aurium,
Orator ut sim maxime probabilis,
Quot adfidetis hic, viri clarissimi.
Præstetis ergo, quæ rogata, vos precor.
Non, classis est quod bina causarum, latet,
De queis bis edit verba semper eloquens.
Nam mox docebit, quæ notandarum datur
Natura rerum, finiantur seu modo
Oblata, sumpta seu negetur quæstio.
Mox longa sive personant encomia,
Seu multa multos vexat increpatio.
Ut res agatur, mox tibi suadebitur,
Mittenda quæ sit, moxque disputabitur.
Accusat unus, alter at tuebitur;

C 4

Seu

Seu facta num res punienda videris,
 Seu iusta num sit numve inepta legibus,
 Ferenda quove disputata nomine,
 Hoc vincat, istud anve magnitudine.
 Quascunque verbis ex iis causas dabis,
 Non una mundo proferentur commoda,
 Describe, quæ res prædicantur simplices,
 Decide censens quæstiones traditas,
 Tristis movetur prorsus ignorantia,
 Et nata læta crevit eruditio.
 Non te latebit, celsa quæ sint sidera,
 Humana quid sit mens, peritus noveris.
 Sic nota nix est, nota stella decidens,
 Et forma recte quæ sit assistens, scies:
 Mentij patebit sic tuæ summum bonum.
 Sic miles an sit, noveris civis bonus.
 Sic an voluptas, cognitum, accidat bonis,
 Num multa præstent sceptris rebus Principis,
 Figura quarta syllogismi an utilis.
 Sed crimen aufert nobilis laudatio,
 Et res honestas firmat increpatio.
 Natura profer cujus appetentior
 Humana, laudis quam pati præconia,
 Proferto, honestus quid magis vir oderit
 Culpantur ob quod jure quam, qui probi,
 Virtutis infert ergo virtutes honor,
 Pellit nefandi criminisque dedecus,
 Si laus honesti proferatur in bonum,
 Scelusque verbis ire mandetur tuis,
 Tristes in orci semitas perhorridi.

Crcæ.

Crōsum putabit noſtra mens devincere,
 Si rem tenebit, quam ſuis votis petit.
 Hoc fit, ſed ad res ſi tuas adduxeris,
 Svadere agenda conſtitutum queis fuit.
 Hoc fiet a te ſi remotas videris
 Res, quas vetabat increpans diſſuaſio.
 Sic pacis a ſe bella depellit potens.
 Sic Martis ardens invenit diſcrimina,
 Quærens habebit verba, quæ Deum docent,
 Jurisperitis ſic forum ornabit volens.
 Sic non medentum deſit ægrotis manus,
 Multis petita ſic parabit artifex.
 Sic lucra dantur multa mercatoribus,
 Sic quæ volebas, copulantur fœdera,
 Sic quæ placebat, comparatur emtio,
 Et quam vovebas, evenit locatio.
 Et non agenti quæ foro datur ſalus?
 Eſt vita puri criminis redemptio.
 Eſt vita fontis competens oppreſſio.
 Injuſta ſed non perferet vir integer.
 Impune non fert perpetrans ſcelus malus,
 Juſtos Patronus jure ſi tuebitur,
 Actorque pravos legibus ſi torſerit.
 Orator o quæ non parabit comoda!
 Suis honeſtas cuncta quæ rebus petit,
 Fortuna ſed quæ promta ſunt, ſimul dabit,
 Jucunda ſeu ſit impetranda gloria,
 Ciſtas replere ſive ſas multas opes,
 Mactare multos ſeu queat potentia,
 Exempla monſtrant multa, quicquid offero.

C §

Ter-

Terræ recessum nominato, si potes,
 Ullum, vigebit Tullii quo non honor,
 Inter Quirites qui sonabat buccina?
 Quo vivit orbe non nitens Demosthenes?
 Illius haud quis prædicat præconia
 Per vasta mundi computanda compita
 Interque sidus grande cœli sidera
 Vox qui disertâ Græciæ quondam fuit?
 Nec defuerunt divites per Rhetoras.
 Sic Atticorum quippe Demades fuit.
 Rebus refertum Gorgiam quendam lego.
 Et Damianus pluribus nummis valet.
 Imo vigeabant maxima potentia,
 Gentes verenda quando libertas tegit.
 Non tam Philippus arma spectat Attica,
 Docti timebat verba quam Demosthenis.
 Quin & furores impiorum civium
 Romæ repellit Tullius prudentia,
 Magis tremendus ore, quam ferro potens.
 Sed tempus urget, finiam quo carmina.
 Sed quam recedam, gratias feram prius.
 Viri disertis dico quam sint utiles.
 Cur non feram ergo nunc viros quoque utiles
 Victum ex Patronis qui boni nobis parant?
 Et qui salus sunt, quando nos sitis premit.
 Non verba, quæ vos evehant, mihi suppetunt.
 Complector ergo multa quam paucissimis.
 Nobis tulistis quod benigni commoda,
 Sit Numen ipsum grande vobis utile,
 Dum vita præsens, dum futura vos habet.

4.
DE MUSICÆ JUCUNDITATE
LOCO

Gottfried Langens, Schwarzenb. Misnici,
OBVALETUDINEM INCOMMODAM
ABSENTIS RECITATA

A
JOH. CHRISTIANO LANGBEINIO,
Rothavia-Misnico,

METRO TROCHAICO.

Non eo quo jam locuti verba ego fero modo.
Nam suo, quæ protulerunt, protulerunt nomine,
Langii vices sed ipse sustinebo langvidi,
Is quod haud præsens valebit ipse grates dicere,
Inter hos, quos sede Phœbi hac nunc juvat discedere.
Morbus istum namq; vincit in grabato intemperans.
Artium, sed ordo poscit, ut canatur Musica.
Ergo dicam, quod sit ista nulla res jucundior.
Multa de vestra audiendi spero promptitudine.
Nam libens voluptuosa sumit omnis auribus.
Multa porto proferenda firmiter quæ certis modis.
Grata dicenda est origo, nascitur qua Musica.
Hancque perspectum est, fuisse, protulerunt quos
fonos,

Dum greges pavere, primi temporis mortalibus
Nunc aves, nunc mota arundo sylvaque austri
flatibus.

Quippe mirati modos tot plurima inter otia
Ligneas finxere, vilis quas dat alga, fistulas,
Æmulati sicque voces arte præstant Musicas,

Inferit

Inferit natura nostris personans quas auribus.
 Quid juvat magis sed aures quam volantum cantica?
 Unda labens per lapillos auribus dat saccara,
 Saltuum, dum permoventur, ventus est mel, fron-
 dibus,

Alga mota dat fufurros per lacusque lacteos.
 Ipsa quam natura visa gratius nil Musica.
 Summa nam cunctis sonorum dicitur concordia,
 Qua tot inter se molestis grata pax clangoribus,
 Quisque præliantur hostes, bella tolluntur fera.
 Sed nihil voco citatis præliis molestius,
 Fel vocabo, sunt acetum, triste sunt absinthium.
 More justo, pace facta, nil sed expectatius.
 Mella portat, lacte abundat, pocla spargit nectaris.
 Sed videte dona multa, quæ feruntur Musica,
 Et quid inter pectora illa præstat, à queis sumitur?
 Mulicis erectiores ad laborem estis choris.
 Impetus frangit molestos suavitas concentuum.
 In movendis magna morbis Musica efficacia est.
 Reddit exultantiores, sensa mœsta quos premunt.
 Sancta quem Judæa primum, cernito, regem colit.
 Nonne Saulus inquieto mœret actus Spiritu?
 Hincque magnos mente motus sentiebat turbida,
 Ambulando non remissus, non cubando vividus,
 Non domi sibi paratus, non locis in publicis.
 Sed David virtute suavi moverat testudinis
 Dira bella, quod ciebat mentis in palatio.
 Namque reddebatur ipsi Saulus & paci suæ,
 Chorda succedenti ut isti tangeretur Principi.
 Plura possem exempla asferre Musicae efficaciae

Tem-

Temporis per pensa sed non ad loquendum præbita
 Fas finit. Ponemus ergo, quod feremus, ultimum,
 Adque honorem artem valere plurimam dicam Dei,
 Huncque præstat, donec orbis nos tenebunt compita.
 Sicque clangent cœlica olim Numinis præconia,
 Quam colat vates tenetis voce Numen regius,
 Donec in mundo caduco sacra divina ordinat!
 Namque dicit canticorum sic suorum in ultimo:
 In suo laudate Numen rite sanctuario,
 In potentia sonate multa propugnaculo.
 Laudibus proferte facta, nunciate gloriam.
 Buccinis laus sit sonora, sit sonans psalterio.
 In choreis institutis sit tumultus tympanis
 Sint tubæ cantus ubique, cœlicæ sonent fides,
 Numinis præconium dent forte clara cymbala,
 Laudet, in quocunque restat, Numen, ullus Spiritus.
 Quin & orbem per futurum personabit Musica.
 Dum choro quondam Angelorum fulguranti tra-
 dimur,

Absque fine illa nobis magnitudo dicitur.
 Magna vobis non videtur Musicæ jucunditas?
 Atque jactet, cui libebit nare sumptam gratiam.
 In palato perque linguam sit saporum suavitas,
 Seu calore seu tepore corpus omne gaudeat,
 Sit voluptas magna visis, quæ stupes, spectaculis,
 Mens sit exultatione tota & ipsa turgida.
 Queis meæ, præferre malo, læccara aures tinniunt.
 Nam simul lætantur in me pectoris præcordia,
 Musicæ modos vocabo nectar & dios cibos.
 Verna sic me pascit aura, queis superbit, floribus.

Tactus

Tactus omnis sic fovetur, quæ petit, sibi bonis.
 In meoque ludit ore, quisquis aridet, sapor,
 In Lyceo isto Camænas qui verendas sumitis,
 Mente jam felicitatem, mando, vestram discite.
 Inter artes liberales Musica in primis datur.
 Optime voluptuosis statis in negotiis.
 Quin & est quod vos monere maxime nunc convenit.
 Cura pro vobis fatigat quem Vir amplus, maxima, est,
 Mel Themistos quemque dulce dixero, *Baudisus*.
 Hunc velim quo mente grata vestra Musica efferat,
 Semper ob non parva dona vos sibi quis obligat.
 Iste, cujus ipse grates nunc scholæ dico vice,
 Arte quantum hac præstat, omni Te canat vir tem-
 pore.
 Numen ædi huic vos putate grande jure Musicæ,
 Donec orbis vivet hospes, dumque erit cæli incola.

5.
 DE GEOMETRIÆ JUSTITIA,
 RECITATA

A
 GOTTFR. LUDOVICO, Landshut. Siles.
 METRO ELEGIACO.

MEnfores sed ego celebrabo carmine justos.
 Artibus ex nostris hæc mihi quinta venit.
 Sed quid proponam vobis de nomine tanto?
 Ars pretio magno nam mihi dicta valet.
 Nunc tempus non est, naturam exquirere cunctam
 Nam ferrem plus, quam tempora nostra finunt.
 Paucis decretum est meritas depromere laudes.
 Una ergo ex multis res recitanda venit,
 Quod

Quod mensore, feram, terræ res iustior haud est.
 Clari, ergo prompta sumite mente, Viri.
 Iustitia apparet, quando artis nomina spectas.
 Mensura fertur prendere namque solum.
 Exæquare potest sed quis virtutibus istam,
 Quæ post mensuram dat sua cuique viro?
 Planius ex re sed, quod dictum est, traditur ipsa,
 Nam quantum fas sit quodlibet esse, dabit.
 Ducitur in iusto censu sic linea quævis.
 Sic non confusus circulus esse potest.
 Nulla superficies sic ullo pondere torpet,
 Et quæcunque cupis corpora recta vides.
 Nunc tribus apparet, quem conficis, angulus oris.
 Nunc iterum spatii quatuor unus erit.
 Et quantæ lites non hac tolluntur ab arte,
 Cum pax post bellum robora firma capit?
 Mars quando sævus rixas de finibus urget,
 Omnia qui finit classica messor erit.
 Quippe quis ambigui regni sit terminus, adfert,
 Num mons, num flumen, sylvæ vasta locet.
 Sic concedendas sine turbis sumferis oras,
 Sive domum acquiras, sive paretur ager.
 Non emtor pretio sic deteriora soluto
 Sumet, vendentis frausque ita nulla nocet;
 Seu iustas tribuat mensurans pertica partes,
 Quæritos pannos seu dabit ulna tibi.
 Sed mensurarum tota apparebit honestas,
 In rebus Sophicis commoda quando vides;
 Non equidem quæ sic speculata scientia sumit,
 Sed vita ad leges quæ peragenda petit.

In

In medio nam quæ virtus ita creditur esse,
 Si mensura aberit, non media esse potest.
 Omnia Mavortis, sic namque pericula finit,
 Laus quemcunque viri fortis habenda juvat.
 Ira gravis quantum, lenis quam debeat esse,
 Mansuetus iustis censet ubique modis.
 Nunc tenuis, major nunc admittenda voluptas,
 Si victum & venerem vir moderere tuam.
 Prodigus existas haud, neve habearis avarus,
 Providus in nummis tu quoque menfor eris.
 Ut ratione æqua dandi sumantur honores,
 Magnanimus census moxque modestus eris.
 In cœlum tollent urbani nomine cives,
 Si lepidos pendat mensio iusta jocos.
 Excutiens quid de te dicas, quidque silendum
 Cunctorum egregia laudeque verus eris.
 Nec tibi durities austerâ putabitur esse,
 Mensura exacta seria quando facis.
 Et quid iustitia est, si non proportio rerum est,
 Quam sine mensura nullus habere potest.
 Quanta in terra igitur mensuræ apparet honestas!
 Hac nihil in mundo rectius arte fuit.
 Tandem sic grates habeo, quas solvere possim,
 Donis exhibitis qui benefacta ferunt.
 Nam me sumta jubent venerari pensa Patronos,
 Qui nostra involvunt corpora veste sua.
 Pro vestris meritis spes iustas sumite vobis.
 Iustus pensabit nam bona vestra modus.
 Quod facitis, Numen cunctis mensurat in horis,
 Mensuramque istam præmia iusta manent.

6.
DE ARITHMETICÆ ANTIQVITATE,
RECITATA.

A
JO. FRIEDER. FASCHIO, Suhla Henneb,
METRO PHALÆTIO.

QUæ versat numeros, mihi ferenda
Ars paucis fuerit meis Phaleucis.
Quod cunctas superet cano sed annis.
Vos audire placet quibus, benigni,
Me nunc, continuatè sic favores,
Ut sensere prius, quam ego, locuti.
Si non carminibus juvo politis,
Pensabo brevitate, quod feretis
Sic vestri cupido, bonum, Clienti.
Laudabit numeros mihi vetustas,
Perpaucis velut ante commonebam.
Nondum sic cupiam capi sed istud,
Quod possit meritis et haud putari,
Artes quæ reliquas ferunt notandas.
Non ista ipse potest carere mundus.
Non vires capiet suas Monarcha,
Ni dona in numeros potest referre,
Subjectos homines putare sive
Fas sit, seu reditus videre cunctos,
Quos vel constituunt metalla fossa,
Vel, qui æraria piscibus replebit
Rivus, materia vel alta sylva,
Multa, vel bene prædia æstimanda,
Aut pastis stabulis, agro aut feraci,

D

Vel

Vel solvenda modis tributa multis.
 Præstat viribus hac nihil quoque arte.
 Quis non aufugiet timore pressus,
 Si fors jactet opes sibi timendas
 Verbis innumeris prehensa summa.
 Auro nam superatur omnis orbis.
 Estne autem utilius, magisque rebus
 Recte proficuum tibi gerendis
 Quam summas numerare computandas?
 Ex multis rationibus fero unam,
 Quæ nunc asserui, quibus probabo.
 Dicit Syracides bona fide Autor,
 Nunquam posse suo domum esse flore,
 Si, qui præficiatur haud putabit,
 Semper quid redeat, quid evoletque.
 Artem consequitur recens voluptas
 Hanc. Quam cantica, suavius quid alti
 Cæli? Tanta canunt sed Angelorum
 Censuræ sacchara millibus prehensi
 Jamdudum innumeris putante vate.
 Atque effingito rectius quod ajas.
 Vitæ gloria calculatione
 Rectæ justitiæ æstimatur ipsa,
 Ne quod gloria sic sit, ambigatur.
 Commendatur enim magis per orbem
 Nil, quam vir, meliore laude justum,
 Qui res ordine collocat probando,
 Non unquam numerans tremante cura.
 Non has sed placuit referre laudes.
 Certis indicis magis patebit,

Nil

Nil antiquius arte detur hac quod,
 Quot sistamque modis, quod assero, esse
 Verum? Pondera prima prius affert
 Mundus, postquam homines creavit autor
 Cunctarum omnipotente laude rerumque
 Vix productus erat suis Adamus
 Terris, condita computare quando
 Inprimisque feras Deo iubetur.
 Nam sine hoc aderant feræ venire
 Jusse, quo numero prehenderentur,
 Nomenque acciperent, sibi quod aptum
 Et quam non veterum putantur anni,
 Quorum ætas numerosa calculatur
 Nongentos habuisse nunc parentum
 Annos; obtinuit quater bis alter
 Centum, censibus his utrisque junxit
 Plures tertius atque pauciores.
 Post hos quam fuerat Noachus in re
 Excellens celebrisque computanda,
 Vel quando numerat dies paratos,
 Post quos intereundum aqua sit orbi,
 Vel quando hospitio videt tenendos,
 Terræ dum pereant aquis, eodem
 In terris habitent, vagas per auras
 Seu degant, duo seu venire fas sit,
 Numen sive velit manere quinque.
 Et quam non numerare fas Abramo est,
 Dum spondet varias beatitates
 Collaudans Dominus fidem probatam,
 Cæli, inquit, numeras faces nitentes,

tono

D 2

Pon-



Ponti, inquit, numerata jacentem arenam,
 Nam natos totidem videbit orbis
 Fauſta ex femine forte procreatos.
 Res ergo numeri vetuſta jure,
 Primo in principio fuere mundi
 Quod noti. Ante fuere quin, fuerunt
 Quam terræ. Fuit ipſe calculator
 Nam longe ante Deus, fuit creatus
 Quam mundus. Liber ecce continebat
 Vitæ corpora cognita notata
 Summa, quot cuperet Deus beare.
 Quot ſalvi fierent viri, tenebat
 Ex his, ante ſeras cadunt quot undas,
 Queis primus periit nefandus orbis.
 Hic conſtat numerus ſalutem habentum,
 Qui poſt tempora dura credidere
 Salvus qui venit ex aquis, Noachi,
 Chriſtus naſcitur antequam redemptor.
 Certa & conſpiciuntur hic tabella
 Scripti qui venient locis beatis
 Meſſias caro cœpit ambulare
 Poſtquam matre ſatus caro ex Maria.
 Quamque haud calculat æqua ſive dura,
 Quæ tangunt Domino gregem fidelem,
 Mundi donec erit per arva civis.
 Concludit lacrymas ſuo receptas
 Sacco, ſed numero prius prehenſas.
 Non poſſunt homines ſuos capillos,
 Quos vertex, numerare, ſummus adfert.
 Sed divina tenet verenda cura,
 Quot

Quot sint, ne cadat, unus ex notatis,
 Unum ni velit interire Numen.
 O quæ signa loci noto vetusti!
 Sed majora putes adhuc adesse,
 Non cessans numerare namque vita
 Inter munera gaudii beati
 Consvēvit. Numerantur Angelorum
 Sicut millia per Dei canoras
 Laudes: dumque aperit futura fata
 Per multas latebras suis Johannes
 Electi numero tenentur amplo.
 Æternus penitus feratur ergo
 Nunquam laudibus esse computator
 Multis? Perpetuo imo durat iste,
 Antiquo atque adeo omnia abdit ævo:
 Nunquam mansio vera nam vetustas
 Cessans, sine carens velut, capeffens
 Sic primordia nulla tempore ullo.
 Atque hæc de numero. Sed &prehendat
 Summa haud vestra mihi quot exhibetis
 Promta dona manu, bonis Magistri
 Qui mentem artibus imbuistis omnes.
 Pro tantis referam quid ergo rebus?
 Est in viribus haud meis facultas,
 Quas nostris homines locis tenemus.
 Sed jam nexuit ante conditum orbem
 Pro tantis meritis Deus coronas.
 Atque istis capita implicabit olim
 Multo perspicua ex honore vestra
 Post multum spatium dies caduci

Quum disparuerint, polique sedes
 Læti intrabitis integrique faustas.
 Quæ pensatio dulcior laborum?

7.

QUOD ASTRONOMIA SIT GLORIOSA,
 RECITATA

A

GEORGIO LENKIO, Reichenb. Varisco,
 METRO CHORIAMBICO.

JUSTIS astronomos laudibus efferam,
 Magna conspicuos undique gloria,
 Hac nilque arte magis nobile dicitur,
 Cœli corpora qua splendida dirigunt.
 Ergo ut commoditas exhibita artium,
 Ut dicta est bonitas, dictaque gratia,
 Ut duratio mox dictaque maxima
 His, qui verba ferunt ante ea mollea:
 A me sumite sic munera gloriae
 Ars per quæ micat & perspicue nitet
 Quæ spectare poli sidera noverit.
 Vos si meque animo ceperitis bono,
 Quanta laude bonos dixerō vos viros.
 Primo fidereus clarus erit nitor,
 Si recte intuear corpora fulgida,
 Ars, quam nunc celebros, quæ specularitur.
 Huc solem refero, lunaque pertinet.
 Huc errare solent quæque alia omnia,
 Seu sit Mercurius, seu Jovis ambitus,

Seu

Seu quæ bella juvant, martia fulgura,
 Saturnive decus, seu Veneris manus.
 Anni, hic enumerò, quæ faciunt modos,
 Seu ver constituant, quod vegetat tepor,
 Cum tauro, gemini masque potens ovis;
 Æstas seu regitur virgine splendida,
 Et cancri pedibus, sive leonibus,
 Autumnum arcitenens libraque temperet,
 Et multa rabie scorpius impotens;
 Reddant sive hyemem non placidam caper
 Et lymphis fluidis tristis aquarius,
 Quos, piscesque, palus non tenet altior.
 Spectat fiderea ars sidera cætera
 Urfas, Cassiopen, Persea, Cephea,
 Cum cyeno lepores & radios canis,
 Verbis prendere quot jamque mihi haud placet.
 His sed corporibus gloria maxima est.
 Nam lux ipsa nitet, cunctaque lucida,
 Præstant sive maris corpora seu poli.
 Sed nil luce magis nobile dixeris.
 Est lux ipse Deus, luxque boni Angeli,
 Ob lucem potior nocte viget dies.
 In ponti tenebris vitæ aderit Pharus.
 Verbum vivificum lumina dat viis.
 Stellæ ipse Deus prædicat optimas.
 Sol & luna duo maxima fulgura
 Fiunt a Domino, dum bene res facit,
 Unum, quod recreet luce sua diem,
 Unum, quo niteat nox lacrymans fatis,
 Solem Syracides laudibus evehit

Inprimis variis: Cernite solem, ait:
 Quam flammæ oceanus luciferum mare est!
 Quod majus poteris dicere, nil erit,
 Quam cursu celeri perficit iste iter!
 Quam magnus faciens conditor exflitit!
 Magna ergo ipsa aderunt corpora cœlica,
 Quod sunt luce sua splendida, gloria.
 Quin & surgit honos, quas docuit sacros,
 Quod rebus, populos, adhibuit Deus.
 Christus justitiæ dicitur ipse sol,
 Se solem ipse Deus, se clypeum vocat,
 Annon gloria sit, gloria tradita
 Cui mundus regitur tam celebris Deo?
 Ars sed sidera quæ lucida perspicit,
 Qui quæ facta, creat, concelebrat Deum.
 Arti grande decus quin & habebitur
 Semper sideræ, commoda plurima
 Sanctis pollicitus quod Dominus poli
 Tot ventura viris prospera nunciat,
 Ignes quot radiant per juga cœlica.
 Et præconia cur lucida non ferant
 In cœli rutilos assidui incolas?
 Nostris evehitur laudibus in plagis
 Magnis nemo, poli tangere corpora
 Quem non conspiciant vertice nobili.
 Cultoremque poli laude quid eveho
 Mortali, capitur quæ mihi lumine,
 Per mundum hospes ero dum miser infimum?
 Ipso ex salvifico laus petitur loco,
 Stellæ egregiam quam speculans habet.

Magnus

Magnus sol equidem concidet, & chorus
 Stellarum rutilus, cunctaque fidera,
 Durans quum veniet vita bonis fide,
 Quam faustam Domini visio fecerit
 Speranda a facie per faciem Dei.
 Stellas restituent munera sed Dei
 Verbisque haud capitur, queis capitur salus,
 Sicut sol oculos, numinis, ingruit,
 Sperat cernere quem sancta cohors, nitor.
 Solis conspicitur nam jubare inclyta
 Vestis, quod periit, qui redimit, Viri
 In monte ætherea est visa Thaboreo
 Cum lux discipulis flammaque cœlica.
 Hæc præludia sed luminis integri.
 Et quid salva aderunt corpora, num fugit?
 Solis nonne alii fulgura sparferint?
 Vel lunæ capient nonne alii modum?
 Sumto nonne alii lumine different,
 Ut vincunt radiis fidera fidera?
 Sed in salvifica hæc lumina ceperis
 Queis non est melior cognita gratia,
 Spectas quando poli corpora fulgida.
 O quanta Astronomis copia gloriæ!
 Atque hanc, discipuli, nunc etiam apprecor
 Propensi exhibiti quando mihi memor
 Affectus, bona, quæ vos foveant, peto
 Rursus, fausta salus perpetuo ut beet.
 Doctos efficitis vos studiis viros.
 Mundum hic nobilitat sed rutilans honor,
 Laus quondam patriæ hæc sitis ut expeto.

VIII.

INFUNUS

PERILLUSTRIS DOMINI

DN. GOTTHELFF FRIDERICI

A SCHÖNBERG,

DYNASTÆ IN BIBERSTEIN, &c. POTEN-
TISSIMI POLONIARUM REGIS ET ELECTORIS
SAXONIÆ POST MULTA ALIA MUNERA IN
PROTO SYNEDRIO DRESDENSI
PRÆSIDIS,

QUA RATIONE AMISSUM RERUM SUARUM
PRÆSIDIIU DEFLERE POTUERIT
ACADEMIA.

Siccine subruimur? turris sic mole soluta
Procidimus? Cœli veluti fera fulmina rupti
Profertunt muros, factaque voragine terræ
Discedens fatis transmittit in abdita rupes.

Nobilioris apex, SCHOENBERGI maxime,
fortis,

Tu fueras quicquid mundo fundamina præstat.

Ut fulsa est per te, haud dicam excellentia stir-
pis.

Nam genus & proavos facis efflorescere præscos,
Dum virtute nova laudes producis avitas,
Exemplumque addis patribus splendoribus auctis,
In patriæ meritis crevisque recentibus oras.

Non porto, in sedes spargis quæ dona profa-
nas.

Facta ita nam superant captum fulmina nostrum,
Grato principibus placuerunt robore quæ tot,

Con-

Confiliis faustis per tot quæ præstita casus,
Annorum per tot quæ duravereque tractus,
Saxonix per quæ provincia totaque salva est.

Non est ex pagis quem non tua vincula strin-
gunt,

Iustus post functum est tibi mox novus esse sa-
cerdos,

Præcipis accepto fas ut sit munere fungi,
Infestos in vi tecta vel fraude tueris,
Errantesque viæ sectanda ad climata ducis.

Apparet studium commissas majus in urbes.

Integra quam resonant sancti præconia verbi!

Quam non errores doctrinæ dogmata fœdant!

Quam non evertunt, quod structum est, crimina
vitæ!

Quam promte inferior sistit præcepta regentis!

Quamque gubernatis recte imperat infula major!

Te nostrum imprimis, SCHOENBERGI, agno-
scimus Hæmum.

Arte Mathematica sic munimenta paramus
In bellum, in pacis fructusque extruximus ædes;

Naturæ licuit sic indagare recessus,

Et verbis populos multos movisse disertis,

Et prodesse orbi, cura est dum condere versus.

Quæ fuerint & quot sic entia cognita nobis.

Res ex Historicis gestas sic tradimus antris,

Sic decepturas conclusis fallimus artes

Iustus: Per linguam multa accipiuntur utramque:

Sic simul in rectos vertuntur factaque mores.

Non

Non leviora a te gratus tenet ordo medentum.
 Corporis humani patuit te præside moles.
 Illi omnes vulgat non simplex sectio nervos,
 Ossaque. Non ullus latet horum!pectora morbus,
 Aut quæ vexantes profligant pharmaca clades.
 Et quas non positas licuit cognoscere leges?
 Nam quid significant attentis verba notatur.
 Principia infinuant post hæc compendia juris.
 Nunc in digestis labor instat iussibus urgens.
 Est, quando in vasto membra omnia codice fu-
 dant,

Et Romana animos multum decreta fatigant.
 Ex quarta rebus servatur gloria sacris
 Parte, fides seu quæ comprehendat tradere fas sit
 Adversus sectas sive ut sint vera furentes
 Defendenda, licet dubios seu solvere casus,
 Scripturarum ipsos sive & depromere sensus,
 Sive novam prodant, antiquam sive salutem.

Præsidio hæcque tuo, **SCHOENBERGI**, præstita
 nobis.

Viribus & non sis fortis protectio Pindi?

Quin fueras, sicut non exsuperabilis arx est,
 Et non permittunt intrare nocentia fauces
 In terras, firmo si quis munimine fuleit;
 Ut perrupturis defendit ab hostibus agger
 Oppositus cives, nullas metuuntque ruinas,
 In vastis positas spectas quas montibus, urbes.

Vah! sed nos miseros, fatis **SCHOENBERGIUS**
 impar,

Quæ-

Quæcunque exhibuit, simul omnia robora tollit.
 Fulmina nonne vides quod tormentaria sternunt
 Valla, altas rupes haurit quod terra dehiscens
 Pulvereus quod nos immittit in aëra vastum
 Fossis confisos murisque cuniculus altis?

Dixerat. A tanto sed strata Academia luctu,
 Corrigitur cœli delapsa hac voce per auras:

Ploratum haud damno. Modo quem se stare pti-
 tabat,

Quem non conficiant nam fulcra everfa caden-
 tem?

Auxilium sed non solum mortale videndum est.
 Ipse Deus servat dum vis **SCHOENBERGICA** ser-
 vat.

Ille tenet mores fabrorum. Hi ligna reponunt
 Suffectis aliis, postquam tenuere domorum
 Tecta diu. Ergo Deus tuiturus templa Sionis
 Nunc **SCHOENBERGIACAS** scœlesti fornice
 vires

Condit, moxque iterum ostendet, qui munera
 præstat

Terrea, quicquid obest, murusque adamantinus
 arcet.

IX.

IN OBITUM

VIRI MAGNIFICI

DN. GOTTFRIEDI GRÆVII,
REGIÆ MAJESTATIS POLONICÆ ET
ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARII, SCABI-
NATUS ASSESSORIS, CONSULIS ET ÆDIS
AD D. THOMÆ ANTISTITIS LON-
GE MERITISSIMI,

d. 31. Octobr. M DCC XIX.

FELICITER EX HOC MUNDO
DIGRESSI.

ERgo autumnales effundite flumina nubes,
Non in vulgares dirumpite viscera nimbos,
In terræ tumidis labentes jugera guttis
Effusisque opibus non parvis annibus auctis,
Impetus ut rapuit, campos & prata tegentes.
Temporis officium est, quod currit. Vultibus
haud est

Quare expectentur venientia frigora siccis.
Non libram insequitur condendam scorpius arens,
Nonque nisi arcitenens capricorno cesserit udus.

Quæ præterlapsa est, ploratus exigit æstas,
Heu mihi per quantos fervebant cuncta vapores!
Quam segetes rigidis vexat sitis arida flammis!
Quam non prendendo, quæ prendis, pulvere for-
dent!

Quam nullo obveniunt quærenti gramina luxu!
Vah quanta anxietas gemebunda animalia torquet!

Tan-

Tanti igitur cladem pluvia haud cur molliat ætus
 Frigoris affectæ res seu solatia poscant,
 Ex madidis sumant noxæ seu pharmaca succis?

Flendum imo est, lacrymis vultus largisque ri-
 gendus,

Numinis incensa est in nos quod largior ira,
 Dum tenet obsessos non parva angustia victus,
 Majorique Ceres cum Baccho venditur ære.

Grandia nec per se solum mala. Crescere specto,
 Quod quæ sunt damnis tollendis, fulcra moventur.

Nobilium illustriisque equidem confessio *Patrum*
 In rem perpetuis ex curis æstuat istam,

Consiliisque ut jam faustis non pauca levavit,
 Plura ita decepta porro non forte repellat.

Sed tamen & duris victa est provisio fati
 Non parvam obscuris qua partem condita cryptis.

Non, infesta, loquar, quos urbi fustulit æstas,
 Inter Mercurii *Richterum* Numina Numen

Eximium ex medio rapiant seu funera censu;
 Ad claros tendens *Themidos Zollerus* honores

Sive novæ caderet fors formosissima fortis.

O clades, multis quam vix fas pandere verbis,
 Ex capitum ipforum quæ concutit omnia fati!

Facta ex hyberno *Schacheri* vulnera casu
 Non prorsus nondum fanata in gaudia vertunt

Postquam urbem in luctus in mœroremque solutam;
 Decidit ex summo renovato vertice lapsu

Æternis cœlo tradendus *Grævius* actis
 Quæ bona commissi servant communia civis

Inter Atlanteas veneranda columna columnas.

Com-

Commoda, *Dive*, in Te quisque omnia perdita
narret?

Naso sufficiat privatis lēssibus ecquis?
Pectora percutient planctu feriente Clientes,
Et chari curis cognato ex sanguine facti,
Officiis & qui iustum meruere favorem.

Sed domus inprimis mersa est divina ruinis,
Nobilioris apex conjux nitidissimus urbis,
Natus uterque, alter nuper nova portio patrum
Lecta, alter terræ quondam splendorque futurus;
Inter virgineas Nata altera gloria nymphas,
Altera nuptarum Charitum veneratio dulcis,
Eusebiesque Gener vis non frangenda tuendæ,
Et matronarum vera excellentia locus,
Wincklerorum ingens omnisque ob facta propago,
Ex qua conjugio fors dat postrema maritam.

Concussam major totam sed lancinat urbem
Tempestat. Cladem donorum amissio signat.
Quippe fides cecidit, licuit vix dicere quantam.
Doctarum extincta est non una scientia rerum,
Jurisque inprimis prudens collectio vasti,
Usibus ex multis nata experientia, casus
Inque omnis varios rata circumspectio vultus.
Pondera non oneri sunt unquam multa laborum,
Contemnitque animus quæcunque offendere pos-
sent.

Hisque juvat nondum scriptorum impletio Patrum,
Consilia his prodest, dat dum laudanda Senator.
Novi ego commissæ quæ dispensatio causæ
Verfet. Mirando cunctas namque ordine ponit

Sum-

Summasque extractas excellam mittit in Aulam.
 Novi ego, quod studium docti scripta aggerat orbis,
 Publica ferveſcat queis bibliothecaque curis,
 In mundique abeat non parva climata fama.
 Quid dicam accessum, quoties Te Dresda vocabat
 Factum ad conventum Procerum, quos Misnia
 misit,

Saxonicis veniunt qui tractibus, exque Variscis
 Qui sunt præſto oris & quos Thuringia tradit,
 Communem ut validam facerent consulta salutem?

Jamque mihi exponas ortam Tibi, Curia, fortem
 Fataque, templa, focis semper quæ præſtita sanctis,
 Conditioque, scholæ, Musis quæ præbita veſtris,
 Civibus ex cunctis habitu quo vivere fas fit,
 Splendida seu dederit claros opulencia census,
 Sive loco teneat medio non turpis honestas,
 Sive lares humilem turbam tueantur egeni.
 Nam non est, cujus votum expectatio fallat,
 Ex tam prono ex quo respublica Consule cepit
 Prospera, quæ mentem simul & quæ corpora pla-
 cant.

Hocque magis, quod vis fraternæ Belgica Svadæ
 In res præceptas & sponſas, faccara fudit;
 Bisque novem ferme protracta ad lustra senectus
 Per longos spatii tractus vasti optima promiſt
 Nestoreique adeo disperſit munera Conſi.

O quas autumnus perimit violentia dotes!
 Quam flores pereunt, pereunt quam vitibus uvæ!
 Quam poma arboribus! Volucris quam nulla te-
 getur

E

Ulte-

Ulterius, struxit virtus quos frondea, nidis!
 Quam nulla auxilium fessis promiserit arbor!
 In pluvias igitur spissas dissolvitor æther,
 Tam svetoque gravein jacturam plangito fletu.
 Sed simul & madeas sic in solatia pressis.
 Nam vires capiens sicut per frigora durat
 Et veri reddit venienti perditæ stipes,
 Cum capite exsiliit, poscet res quando, recenti
 Sic aucti angusto per clades robore *Patres*.

X.

 DESUMTA EX ECCLESIASTICO
 EMBLEMATA

I.

Ecclesiastici II. v. 5.

PICTURA:

Aurifaber per ignem aurum excoquens.

LEMMA

 JUSTUM FLAMMA EXHIBET
 AURUM.

EXPLICATIO POETICA:

QUam justum existat verumque agnoscitur au-
 rum,
 Ingestum virtus flammæ quando coquit.
 Adversæ urgentes stimulos sponse accipe fortis.
 Mundi, ita nam, Domino qui placuere, patent.

2. Ec-

2.

Ecclef. III, v. 31.

P.

Infusa aqua ignis extinctus.

L.

FLAMMÆ EXTINGVUNTUR
AB UNDIS.

EXPLICATIO :

Non ex accensis flammis noxa ulla nocebit,
Infundes calidis flumina quando rogis.
Edes peccati certissima signa remissi;
Quis res curta domi, pondera quando levas

3.

Ecclef. VIII, v. 4.

P.

*Homines ad augendas flammis lignum afferentes,
ignique ingerentes.*

L.

MAJOR VIS ADDITUR IGNI.

EXPL.

Majores sumunt exorta incendia vires,
Plus ligni quoties materiae que feres.
Majora efficies non faustæ incommoda vitæ,
Rixam ubi rixoso dulce movere viro.

4.

Ecclef. X, v. 20.

P.

Ambulantes inter lapides & per alta cacumina.

E 2

L.

L.
HEU QUANTA PERICULA
TERRENT.

EXPL.

Proximus exitio est tensa inter retia vadens,
Rupis perque alta culmina celsa sedens.
Queis occidendi, socios ne quare, potestas.
Namque altas turres sic laqueosque fugis.

Eccles. XI. v. 2.

P.

Apis mellificans.

L.
VEL APIS DAT DULCIA VILIS.

EXPL.

Exiguum insectum est, gaudetque haud corpore
magno,
Quæ flore lex vario sacchara stipat apis.
Ne temnas pariter, sentis quem temnere mundum,
Est qui spretus opem, consiliumque dedit.

6.

Eccles. XI. v. 32.

P.

*Aves vocis suaviter canentis insidiis in area capien-
dis volucris concinnata prætervolantes ad
escam & laqueos vocantes & adducentes.*

L.

L.

MORS EST IN VOCE VOCANTIS.

EXPL.

EX cavea dulces cantus avis ingerit auræ,
Ad cædem sed sic infidiosa vocat.

Ex falso qui te compellat pectore blandus,

Quam credas, citius tristitia fata feret.

7

Eccles. XI. v. 34.

P.

Ex scintilla incendium exoriens.

L.

MORS PARVA OCCASIO GRANDIS.

EXPL.

IMprobitas si quos perversis applicat ausis,
Hos capiet facta non nisi cæde quies.

Sic tibi constructas ædes incendiâ perdent,

Ni scintillam aufit tollere cauta manus.

8.

Eccles. XII. v. 10.

P.

Ferrum post unam crasam altera ex altera rubigine iterum infectum.

L.

PULSUM SITUS EXCIPIT ALTER.

EXPL.

SUblata splendet purum rubigine ferrum:

Sed fordet scabie rursus iterumque nova.

E 3

Con-

Conciliato hosti facta ne fidito pace.
Infestus, simul ac causa vocabit, erit.

9.

Ecclef. XIII. v. 3.

P.

*Olla ex argilla facta, quia vasi aeneo juncta erat,
fracta & in partes diminuta.*

L.

ÆS ARGILLACEA VASTAT.

EXPL.

QUæ facta in partes ex terra diffilit olla,
Si vicinam habeant aenea vasa sibi.
Non fausta infelix fato omni forte peribis,
Non forti fortis si tibi junctus erit.

10.

Ecclef. XIV. v. 19.

P.

*Arbor frondes in vere concipiens & emittens, per
autumnum autem deponens.*

L.

PRODIT FRONS GRATA,
CADITQVE.

EXPL.

IN vere induitur primo queis frondibus arbor,
Res fracta autumni tempore facta cadunt.
Conditio similis mortales versat in orbe,
Pars oritur, fatis pars moriturque suis.

II.

Ecclef. XVII. v. 1.

P.

Manus inquinata, quod picem subjectam tetigit.

L.

PICEO SIC SORDIDA TACTU.

EXPL.

CUi cocta ex pinus succo pix tangitur, illi
Sordibus inficitur polluiturque manus.
Turgentes nimio si fastu intraveris ædes,
Te quoque sædum aliis senfa superba ferent.

12.

Ecclef. XIII. v. 16.

P.

*Ros, dum tempore vespertino per campos spargitur,
fatigatas æstu diurno herbas levans.*

L.

GELIDUS ROS MITIGAT ÆSTUS.

EXPL.

ROs fert auxilium per gramina vespere sparsus,
Queis herbis æstus pœna diurnus erat.
Da vultu placido munus donumque petenti,
Vox lenis, quam res tradita grata magis.

13.

Ecclef. XX. v. 31.

P.

Frænis equus, quo minus alterum ladat, impeditus.

E 4

L. CO.

L.
COHIBENT DATA FRÆNA
NOCENTEM.

EXPL.

LOris admotis mos est frænare caballos,
Adſan i ut veniat læſio nulla viro.
Judicibus ſuperant corruptis munera frænosa,
Nam datur & magnis non ita pœna reis.

14.

Ecclef. XXI. v. 9.

P.

Saxa convehentes ad ſepulchra conſtruenda.

L.

IN MORTEM CONVEHIT ÆDES.

EXPL.

MAteriam ardenti comportant undique niſu,
Ut ſit, qua lateant poſt ſua fata, domus.
Si cui non proprio facta eſt extructio ſumtu,
Ad cryptam lapides crede tuliffe ſuam.

15.

Ecclef. XXI. v. 17.

P.

*Olla per rimas frequentes, quibus rupta eſt, liquores
infuſos effundens.*

L.

NON SERVAT RUPTA LIQVORES.

EXPL.

OBveniunt oculis ſalientia flumina lymphæ,
Namque inſicta ollæ vulnera multa doles.

Ad-

Adjungas testis stultorum pectora ruptis.
 Quippe haud doctrinae scita ferenda tenent.

16.

Ecclef. XXII. v. 1.

P.

Lapidem luto immersum extrahens.

L.

SUMENS SE STERCORE FOEDAT.

EXPL.

Pollutos opus est digitos palmamque lavari.

Inquinat extractus stercore namque lapis.

Ignavos fugito, vitiant quos otia, cœtus.

Ni facias, vix te fœdior ullus erit.

17.

Ecclef. XXII. v. 10.

P.

*Bene quoad partes compacta domus in venti insultus
 immota consistens.*

L.

TIMET HAUD COMPACTA
 PROCELLAS.

EXPL.

A lapsu immunis structura furente procella est.

Immotam in ventos vincula namque tenent:

Mens, cui pervasi firma est fiducia veri,

Pectora non ullo fracta timore geret.

18.

Ecclef. XXII. v. 23.

P.

Oculus, dum premitur, lacrymas emittens.

E 5

L. LA.

L.

LACRYMAS OPPRESSIO FUNDIT.

EXPL.

PER malas ducit lacrymarum effusio rivum,
Admotis digitis lumina quando premis.
Non una expromunt tristes suspiria sensus,
Si tua quod vexat pectora, dico malum.

19.

Eccles. XXII. v. 25.

P.

*Avium greges, postquam lapides in istos jacti, di-
spersi avolantes.*

L.

JACTU SPARGUNTUR IN AURAS.

EXPL.

Confusæ volucres jactu non sede manebunt,
Agmine spissato qua coiere simul.
In res si juncti convitia mittis amici,
Amplius haud placidæ fœdera pacis erunt.

20.

Eccles. XXVII. v. 6.

P.

Cocta in fornace vasa testacea.

L.

FIRMAT TESTACEA FORNAX.

EXPL.

QUæ figulus pedibus format testacea motis,
Ut furni examen sustinere, placent.
In confirmatos perfecit pectora sensus,
Inter vexatos qui mala multa tulit.

21.

21.

Ecclef. XXVII. v. 7.

P.

*Arbor post diligentem & accuratam coloni curam
multos fructus ferens.*

L.

PROFERT CURATIO FRUCTUS.

EXPL.

ARboribus præstat cultum improba cura coloni.

Multum expectatis fructibus ergo tumet.

Ex verbis constat, fert ut prudentia, factis,

Quod rectis tractas pectora culta modis.

22.

Ecclef. XXXV. v. 26.

P.

*Pluvia terram post nimiam siccitatem irrigans &
molliens.*

L.

CADIT IMBER TEMPORE JUSTO.

EXPL.

Commoditas nimbos opportunissima mittit,

Ex nimis quoties æstibus aret humus.

Non meliore a te veniet stips tempore, quam si

Casibus adversis fors inimica premat.

23.

Ecclef. XXXVI. v. 27.

P.

*Sine sepe existentis horti fructus in prædam cum
hominum quorumvis tum brutorum tam domesti-
corum quam sylvestrium cedentes.*

L. ME-

L.

METUAS SINE SEPE RUINAM.

EXPL.

CUm bovis porcis horti isti pabula præstant,
 Queis, damnûm, hæud sepes, quæ prohibere
 potest.
 Ex tectis pulsus propriis spectabitur omnis,
 Quas collegit opes, quando hera nulla tegit.

24.

Eccles. XXXVII. v. 21.

P.

*Lingua homo ferinam tentans, num bonæ conditio-
 nis sit, an rejicienda.*

L.

BONA NUM, VULT SCIRE, FERINA.

EXPL.

EXcellens gustu tangit quæ lingua ferinam,
 Num servare queat, num remove, capit.
 Sentit, plena fide fundantur verba dolove,
 Cor salis in quo non insipientis erit.

UT

UT APPAREAT, QUODEMBLEMATA
 ECCLESIASTICA HÆC AD HISTORIAM
 RERUM LIPICARUM PERTINEANT, SUBJUNGAM
 QUOMODO PER UNUM EX ILLIS BONARUM AR-
 TIUM ET PHILOSOPHIÆ BACCALAUREI, MEN-
 SE JULIO, MDCCLXXII. AD HABENDAS LE-
 CTIONES PUBLICAS INVITATI
 SINT.

PAulo plus temporis, quam dimidium anni con-
 ficit, effluxit, quum nobilissimi Bonarum Arti-
 um & Philosophiæ Candidati ad pensanda merito-
 rum præmia proposito ex Syracide emblemate in-
 vitati fuerunt. Operas impræsentiarum literatissi-
 morum Dnn. Baccalaureorum ad usus publicos sol-
 licitaturus, idem faciam. Pingam nempe aurifa-
 brum, aurum per ignem excoquentem, subjungam
 vero lemma: JUSTUM FLAMMA EXHIBET AU-
 RUM, explicaboque adscriptis lemmati duobus di-
 stichis:

Quam justum existat verumque agnoscitur aurum,
 Ingestum virtus flammea quando coquit.
 Adversa urgentes stimulos sponte accipe fortis.
 Mundi ita nam Domino qui placere, patent.

Verba Syracidis, ex quibus formatum est emblemata
 existunt c. II, §. & ita se habent: *Quicquid obtigerit,
 suscipito. Aurum per ignem exploratur. Et viri boni
 excutuntur in fornace tentationis.* Sententiaque
 est viri sapientis, optimos evadere & esse, qui mul-
 tum in vita toleraverunt & passi sunt. Veritas rei
 aliorum testimoniis, non unisque exemplis con-
 fir-

firmari potest. Quum Ovidius tum Virgilius hortantur rebus affligentibus obrutos, ne animis concidant, quoniam futurum sit, ut per torquentem asperitatem ad magnum fortunæ favorem, & rerum præstantium indulgentiam perveniant & adducantur. Nam hoc sensu dolor Nasoni profuturus asseveratur. Et qui durant, rebus servatum iri futuris, existimat Maro. Inter exempla extantissimum videtur Aristides Imperator ex Græcis. Ille excellentissimas res pro patria gesserat. Sed ad tantam tamen præstantiam & felicitatem sola virtute non accessit, sed multa quoque sustinuit. Nam etsi tanta excellebat abstinentia, ut unus post hominum memoriam cognomine iusti appellaretur, tamen a Themistocle collabefactus testula exilio decem annorum mulctatus fuit. Quæ invasio tanto mordentiores animo punctiones inferre potuisse censenda est, quod concitata multitudini cedens, quum animadverteret quendam scribentem, ut patria pelleretur, quævisilletque ex eo, quare id fieret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus censeretur? responsum acceperat, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, ut præter cæteros iustus appellaretur. Et videri quidem possit, solas fortis calamitates ita Syracidem infinuare, per quarum perpeffionem ad claritatem ad moverentur, qui iis subigerentur. Sed simul morsus laborum & varietatem comprehendit, quibus boni ante exercendi sunt, quam ad eminentiorem fortem emergant. Non prius enim patent portæ merito-
rum

rum publicorum & ortorum inde honorum ostia,
 quam per infinitos labores ostensa sunt &
 aperta. Hucque pertinent inprimis varia exer-
 citationes, quibus, qui literis in Academiis operam
 dant, requisitam ad promovendas utilitates publicas
 idoneitatem & aptitudinem consequuntur. Et ex
 his nunc præcipue Bonarum Artium & Philosophiæ
 literatissimos Dnn. Baccalaureos ad suscipiendas in
 feriis solennioribus, quæ a cane denominantur, Dnn.
 Professorum ordinariorum per quatuor septimanas
 ex autoritate publica cessantium in lectionibus ha-
 bendis vices invitamus. Adfatis igitur, Viri Juve-
 nes optimi, per hanc septimanam mihi, quidque ex-
 posituri sitis, indicate, horam & diem proposito &
 destinationi exsequendæ assignandam expectantes.
 Utilitas certe insignis exinde exorietur. Ut aurum
 namque excoctum splendebitis, id est, conditionem
 comparabitis, per quam muneribus publicis quon-
 dam præpositi, & commoda publica laudabiliter
 juvabitis, & famam gloriamque nanciscemini, qua
 fulgorem non auri solum, sed vel gemmarum quo-
 que pretiosissimarum multis modis superare cense-
 bimini. P.P. in Academia Lipsiensi, Dominica VI. post
 Trinitatis in vigiliis Margarethæ seu XII. Jul. A. R.
 S. M DCCXXII.

MANTISSA
 HYMNI ECCLESIASTICI.

O Christe, nobiscum mane
 In appetente vespere,

Ver-

Verbi tui lux splendida
 Ne nostra linquat limina.
 Hoc ulcerolo seculo
 Mentem cadentem tollito.
 Ut vox tua & myſteria
 Ad noſtra durent funera.

PARAPHRASIS HYMNI.

Nobiscum, mundum redimis qui, Chriſte, maneto.
 Appropereſt pleno veniens nam veſpera curſu.
 Verbum, quo lumen non eſt illuſtrius aſtris,
 Ne patere errores nobis extingueret ſædos.
 In nunc exortis lacerant quæ tempora turbis,
 Imnota ut ſint & conſtantia pectora præſtes;
 Ut verbum & verbo quæ tu myſteria nectis,
 Ad noſtrum & mundi ſint illæſiſſima ſinein.





2
No 4457

ULB Halle

3

004 917 294



Y.c
445



PARALIPOMENA
HISTORIÆ
RERUM LIPSICARUM
METRICÆ,

SEU
EX CARMINIBUS
PER TEMPORA ET QUÆ PAULO
EA ANTECESSERUNT,

QUIBUS
POETAS PUBLICO STIPENDIO
IN

ACADEMIA LIPSIENSI

INTERPRETATUS EST,
SIMULQUE SCHOLÆ OPPIDANÆ THOMANÆ
UT RECTOR, PRÆFUIT, VARIIS RERUM EVE-
NIENTIUM OCCASIONIBUS COMPOSITIS,
NONDUM PECULIARITER IM-

PRESSA,
SECUNDUM SERIEM TEMPORIS,
QUO CONFECTA FUERUNT,

IN IJSSIM

